

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
5 B
20


A.10.
L. V.



Ex libris M: Aloysij Valensij

Lippi Brandolini de ratione scribendi libri tres, nunquam antea in lucem editi:

In quibus uir ille doctiss. Rhetoricæ præcepta à dicendi ratione, ad rationem scribendi, styliq; exercendi usum tam doctè transtulit, tamq; diligenter accommodauit, ut nihil neq; maiorum nostrorum, neq; nostra memoria doctius, aut elegantius in eo genere scriptum esse uideatur.



ADIECTI SVNT,


Io. Ludouici Viuis D. Erasmi Roterodami, Conradi Celtis, Christophori Hegendorphini, De Conscribendis epistolis libelli.



Cum locuplete rerum & uerborum memorabilium Indice.

BASILEAE.

SEBASTIANVS CORRADVS S.P.Q. *Rhegiensi* S.D.





NVLLVM TEMPVS pręetermitto, Rhegienses, cogitandi, quo'nã tandem pacto uobis pro tot meritis erga me ueſtris, ſi nõ parem, at aliquam tamen gratiam referre poſsim. Sed eorũ tanta eſt magnitudo, ut quam uis, quicquid poſsim, faciam, ac pręſtem, nullam tamen eorum partem uidear aſſecutus. Vos enim me iuuenem adhuc, ne mediocriter quidem eruditum, dignũ, qui iam tum publicè legerem, iudicaſtis: quod ego munus uti ſuſciperem, nunquã adduci potui: quum dicerem, id maius eſſe, quàm quòd iuuenis in literis græcis non multũ uerſatus, poſſet ſuſtinere: nec æquum uideri, ut ego, uiuo adhuc Antonio Caraſo præceptore meo, uiro optimo, & homine doctiſsimo, locum illi quaſi debitum tenerem. Nec ita multo

pòst,quum uobis ego non tam autor quàm suasor essem, ut primùm Ambrosium Ripaltam, deinde Bassianum Landum, homines eruditissimos, ad legendum conduceritis, uos quidem meo quasi testimonio tantum fidei tribuistis, ut statim de ea re,ut ego uerba faciebam,ita censueritis:sed eas tamē uoces,quæ mihi semper in medullis ac uisceribus hærebunt,misistis: Quæ tu Corrade petis,ut alijs demus,ea nūc,quādo tu, cui nihil negare possumus,ita uis, dabimus quidē, sed tibi nos dare cupimus,te uolumus, te optamus: nec quicquam est, quod iam pridem magis desideremus. Quare si nos, & patriam totam,tanti facis, quanti præ te fers, & debes, ut omnes debent: noli quæsumus pati, iuuentutē nostram à peregrinis potius,quàm à ciuibus erudiri.Nec petimus tamē, ut tu, quod nunquā fecisti, nec tibi faciendū censemus, minima quæq; doceas:sed de superiore

riore loco tantũ profiteare. Ego uerò quum iam præsens neq; aduersari amplius possem, neq; uobis rem, præsertim tam honestam petentib. negare auderem, recordarerq; Venetijs me latinis literis ediscendis quinquennium quasi Pythagoricũ per summum otium sub Egnatio præceptore consumpsisse, eódem reuerti constitui, non eo mediusfidius consilio, ut à uobis, quos semper omneis in oculis tuli, abessem: sed ut literarum Gręcarum et philosophiæ studia paulisper intermissa, per otiũ, quod Venetijs esse solet, repeterem. quod tanto studio & cura fecimus, atq; idipsum per quadriennium, ut pauci nos, uel nemo potius posset domi conuenire, præter Marcellum Lancium, Prosperũ Videllum, Bartholomæũ Ferrarium, Regienses, & Rubertum Salicetũ Bononiensem, qui nos uel inuitos fuerant secuti. At uos interea ne expectastis quidem, quoad ego do-

mum redirem, sed mei absentis nõ modò quasi rationem habendam, uerumetiam meipsum uel absentẽ huic muneri grçcè & latinè legendi omnibus omnium suffragijs præfi·ciendum censuistis. Qua de re cum Ludouicus Zobolus, uir nobilissi-mus, ac de me optimè meritus, nun cium, atque adeò uestras literas ad me Venetias usque perferendas cu rasset, etsi diu multumq; dubitaui, ne minus ego idoneus essem ad tan tum onus ferendum, uestræ tamen uoluntati morem aliquandò tandẽ gerendum iudicaui. Itaq; domum quum redijssem, hoc munus alacri tate tanta & studio suscepi, atq; tan ta diligẽtia ac cura iam quinq; pro-pè annos sustinui, nihil ut putẽ, nisi maiorem fortasse doctrinã, deside-rari. Hoc senatusconsulta, quibus me sæpius ornastis: hoc mercedis cumulus & accessio: hoc iuuenum ad me audiendum concursus: hoc omnium ordinum, & omnium æta

tum

tum erga me beneuolētia declarat. Quare quum me tantum hic amari & coli uideam, ut nullus penè ciuis quamuis nobilis & magnus, mihi non decedat: nullus me non obseruet: non ſum equidem tam arrogans, ut dicere audeam, quod Themiſtoclem & Ciceronē dixiſſe conſtat, me nunc magnorum meorum laborum, multarumq́; uigiliarū fructum capere: ſed tacitus ago gratias Deo, & uobis, qui me tot honoribus pro ueſtra humanitate decoraſtis. nam me relaturū, affirmare nō poſſum, quum ueſtra in me beneficia plura ſint, & maiora, quàm pro quibus par uobis gratia referri poſſit: etſi uobis nō operam modò meam, quantulacunq; ſit, ſed me ipſe etiam totum trado, & dedo: Aeſchinem philoſophum imitatus, qui Socrati ſe ipſe donauit. Ne tamen ego nullam prorſus uobis gratiam retuliſſe uidear, cito uos teſtes, quàm benè meo munere ſim functus: quāq;

rectè & sedulò iuuentutẽ uestram erudiendam curarim: quum nihil, quod ad hoc munus pertineret, prę termisi. Sed quoniam, qui profitetur, præceptaq; uel carminis scribendi, uel solutæ orationis formandæ tradit, nõ multum solet proficere, nisi iuuenes qui audiunt, stylum, præstantissimũ dicendi & scribendi effectorem & magistrum, exerceãt: treis Lippi Brandolini de Ratione scribendi libros nunc primũ describendos (siue, ut nunc loquimur, imprimendos) curaui: cùm ut in uestro nomine apparerent, tum ut iuuentuti uestræ ad stylum exercendum prodessent. Nam uir ille quamuis penè cæcus, certè lippus, quum Rhetoricam in Pannonia inuitatus à Matthia Rege docuisset, ex ea præcepta collegit, & à ratione dicendi ad rationem scribendi tam doctè transtulit, & tam diligenter accommodauit, ut nihil neq; maiorum nostrorum, neq; nostra memoria

ria doctius aut elegantius in eo ge-
nere ſcriptum eſſe uideatur. Quam
ob rem quum Bartholomęus et Lu
douicus Sanuiti fratres, iuuenes
mei literarumq́ ſtudioſiſsimi, ho-
ſce libros manu patris utcunque
ſcriptos mihi dediſſent, dignos e-
go, in quibus corrigendis aliquid
temporis conſumerem, iudicaui. Id
ego uerò feci, quàm diligentiſsimè
potui, neq́ uerò ſine magno labo-
re: quum multa fuerint mutanda,
omnia interpungenda & diuiden-
da: uerba græca, quæ latinè & per-
peram fuerant ſcripta, græcè repo-
nenda, & multa multis locis rurſus
ſcribenda. Quem laborem Regien
ſes uobis, & librum ipſum iuuentu
ti ueſtræ, meæ erga uos omnes ob-
ſeruantiæ monimentum, quaſi con
ſecramus. Valete, prid. Non.
Martij. M. D. X L V.
Regio Lepidi.

RERVM ET VERBORVM IN HOC LIBRO

memorabilium Index.

ἀναστροφὴ

Franci=

λæκνω=

CAPITVM

CAPITVM ELENCHVS.

Libri primi.

De his

LIBRI II.

De gratu-

De con=

INDEX.

FINIS.

LIPPI BRANDOLINI IN LIbros de Ratione scribendi, ad Franciscum Picolmineum Cardinalem Senensem Præfatio.



VLTA QVIDEM, atque ingentia munera nobis ab illo optimo parente, ac redemptore nostro collata sunt, sapientissime pater: nullum tamen neque maius, neque præstabilius, neq; humano ingenio dignius est, diuinarum humanarumq; rerum cognitione, atq; scictia, quam quidem sapientiam maiores nostri appellauere. Nam quum participes rationis ac diuinitatis simus, nihil habemus quo auidus intelligendi animus tantopere delectetur, quo tantopere alatur, in quo denique tantopere acquiescat. opes enim, honores, imperia, uoluptates, cæteraq; res omnes, quæ ab hominibus expetuntur, atq; in precio summo habentur, partim tam fluxæ atq; instabiles, partim tam plenæ curarum ac sollicitudinis sunt, ut omnem animo non modo delectationem, sed tranquillitatē quoque, ac sui ipsius potestatem eripiant. hæc una rerum diuinarum humanarumq; scientia, ita propria animi, & perpetua possessio est, ut cui semel est parta, ei ui aliqua eripi, auferriq; nō possit: delectationem uerò & suauitatem animo tan

tam affert, ut eum ab omni alia cura & cogitatio ne ad sui studium et contemplationem traducat. Huc accedit immensa quædam, et incredibilis ani mi quies, atq; tranquillitas, quæ hac una contem plationes comparatur. Animus enim pulcherri marum atq; altißimarum rerum studio & inue stigationi deditus, omnem sollicitudinem, cupidi tatemq; deponit, humana omnia contemnit, ac pro nihilo ducit, omni deniq; affectu ac pertur batione uacuus, solutusq; quiescit. Ratio autem, & peritia bene beateq; uiuendi, hinc potißimum sumitur. Animus enim optimis præceptis, exem plisq; saluberrimis institutus, siue sibi uicturus, si ue alijs præfuturus sit, facile totius uitæ cursum uidet, ad eamq; traducendam omnes rationes & consilia comparat, seq; ipsum ad ea quæ legit, quæ audiuit, quæ obseruauit, accommodat. ita ut, qui ex literarum cognitione degendæ uitæ ratio nes, fructumq; non capiunt, hi mihi nescire omni no literas uideantur. Porrò hæ quantum in secun dis rebus ornamentum, quantum in aduersis præ sidium afferant, incredibile dictu est. Præstant e nim in alteris moderationẽ, mansuetudinem, au ctoritatem: in alteris, animi magnitudinem, pati entiam, humanarum rerum contemptionem: con trà, ex illis superbiam atq; elationem omnem, ex his omnem dolorem atq; ægritudinem adimunt.

adeò,

adeò, ut hæc una ad expellēdos omnes animi mor bos, affectusq; sedandos medicina optima, atq; ac commodatißima sit ab omnibus semper iudica ta. Postremò hæc una contemplatio nos in cœlū rapit, & quantum homini scire fas est, usq; ad ip sius Dei cognitionem ducit. Hæc immortalem nō strum animum ad suam originem redire cupien tem, mira quadam eius quam optat beatitudinis spe, & quasi prægustatione incendit, &, quoad fieri potest, Deo proximum atq; simillimum red dit. Quam quidem rem sapientiß. nobis ille Pau lus uerißime atq; apertißimè declarauit, quum per patientiam & consolationem scripturarum spem habere nos iußit. Tuum itaq; tam præcla rum institutum, sapientißime pater, ego quidem satis commendare, admirariq; non possum: qui in maximis opibus, in amplißimo fortunæ ac digni tatis gradu, in summa apud omnes homines exi stimatione atq; autoritate constitutus, cæteris re bus omißis, te totum sapientiæ studijs, contempla tioniq; tradideris: eaq;, de quibus inter se homi nes contendere atq; digladiari solent, despicias, ac pro nihilo ducas. neq; tu solum id facias, sed à tuis quoq; faciendum cures. egregium sanè, et di gnum sapientißimo uiro, & Cardinale religiosis simo institutum. Quod quidem tametsi tu à san ctißimo ac sapientißimo uiro patruo tuo, Pio Se

cundo Pont. Max. tanquam hæreditarium munus accepisti: qui quidem in maximis regendæ Christianæ Reipub. & totius penè terrarum orbis administrandi laboribus ac occupationibus positus, ea, per quæ ad locum illum peruenerat, literarum studia nunquam deseruit. Habes tamẽ à benignitate quadam naturæ tuæ, & ingenij magnitudine, ut à studijs illis, quæ tu optima atque religiosissima esse sentis, distrahi, auocariq; non possis. Perge igitur pater optime, ut facis: perge inquam, tibiq; persuade, id quod diuinitus à Salomone primùm, deinde etiam à Platone est dictũ, sapientiæ possessionem esse omni auro diuitijsq; meliorem: speraq; fore, ut eius rei fructus quanquam nunc magnos percipis, maiores tamen in dies singulos, uberioresq; percipias. Ego quidem, quanquam neq; doctrinæ, neque ocij ad contemplandum satis habeo, eius rei tamen incredibilem quotidie fructum capio. Nam quum ab ineunte ætate sim in maximis semper angustijs, ac laboribus corporis, animiq; uersatus, cùm ob naufragium rei familiaris nostræ: tum ob hanc, quæ totũ corpus aggrauat, cæcitatem: unum hoc literarũ præsidiũ, unum hoc solatium semper habui, quo calamitates omnes, & præsentes constantißimè toleraui, & aduentantes fortißimè repuli. Hodie quoque quum nihilo minus, atq; haud scio an etiam

am magnæ fortunæ procellis exagiter, amißa ob temporum peruersitatem quiescendi spe, ab hoc uno literarum studio & uitæ præsidia, & animi relaxationem peto. Dies enim alijs instituendis, noctes mihi, quantum licet, impendo. Ne uerò nocturna etiam studia nostra à communi utilitate disiuncta sint, quum solis nobis nati non simus, conor aliqua aßiduè lucubrare, quo non mei solum animi delectationibus, sed cæterorum etiam tum uiuentium, tum posterorũ utilitati prospiciam. Itaque quum cogitarem, si quid esset, in quo ego mea opera & industria nostris hominibus prodesse possem, uideremq; permulta de ratione dicendi, tum à ueteribus, tum à nostris conscripta uolumina, de Scribendi ratione ab illis nihil traditum esse: digna mihi uisa res est, & nostris hominibus necessaria, de qua aliquid conscriberetur: præsertim quum hoc tempore, quicquid est eloquentiæ, id in scribendo tantũ exerceatur, dicendi exercitatio penè tota defecerit. nam accusandi & defendendi ratio, ad quam omnes eloquentiæ uires, omnis dicendi facultas à ueteribus comparabatur, mutata fori iudiciorumq; consuetudine, sublata penitus, atq; extincta est. Sententiæ in Senatu apud cæteras ciuitates, patria & communi lingua, hic in nostro colloquio & breuiter, & minus latinè dicuntur, ita ut in illis dicendi facul-

tas locum non habeat. Conciones quoque patria fere oratione pronunciantur: paucæ admodum aut sanctorum, aut defunctorum laudationes latina lingua habentur: atq; hæ quoque ab illa ueteri oratoria in nouam quandam & barbaram consuetudinem ab his quos Fratres *appellamus, commutatæ sunt. Sola iam nobis scribendi ratio relicta est, in qua uersari poßit eloquẽtia.* Atq; *hanc quidem præceptionem ueteribus eam existimo fuisse causam primam literis non tradendi, quòd partim cum dicendi ratione coniunctam esse arbitrarentur, partim sciri hæc ab omnibus tanquã trita & uulgata conspicerent.* Nobis, *qui neq; in dicẽdo exercemur, neq; hæc scire alibi poßumus, necessariò tradenda esse censui.* His *igitur de causis scripsi superiori anno de* Scribendi *ratione libros tres, in quibus & ea quæ erant de arte dicendi à ueteribus tradita, quæ quidem usui nobis esse possent, breuiter atque dilucidè sum complexus: & quæ ab illis prætermissa fuerant, quantum potui longa obseruatione, collegi.* Nam *& quæ ab illis de sex partibus orationis, de causarum generibus, de dispositione, de elocutione præcepta fuerant, quantum ad hanc institutionem conferre uisa sunt, non omisi. & quo pacto ad omnem sigillatim materiã accommodari poßit inuentio, (quæ res adhuc intacta fuerat) diligenter copioseq́; tractaui:*

tractaui: atque ut eius rei certa præceptio tradi posset, epistolam, quoniam eo maxime scribendi genere utimur, quasi formulam quandam, in qua scriptor uersetur, accepi, ad eamq; scribendã omnem præceptionẽ nostram accommodaui. Quos quidem libros, quia neque adhuc satis emendatos putabam, neq; publicandi gloriam affectabam, libenter apud me continebam. Quum autem tu eos à me his diebus & coràm, et per Augustinum fratris tui filiũ, præstanti ingenio, moribusq; optimis adolescentem, pro tua consuetudine petijsses, quod fore illius institutioni eos non inutiles iudicares: non sum passus, pro tua summa erga me beneuolentia, meaq; in te incredibili obseruantia, eos abs te diutius desiderari: Augustinumq; ipsum hac utilitate, si qua ex nostris libris ei prouentura est, ulterius carere: imò in magna mea felicitate duxi, res nostras tibi aliqua ex parte uel iucundas, uel utiles esse posse. Eos itaq; tibi, sapientißime pater, quàm possum emendatißimos, quamprimum exhibeo: ne, si eos apud me diutius emendando detineam, uel Augustini commodum, uel tuam cupiditatem uidear remorari. Peto tamen abs te, ut non tibi pro amplitudine & sapientia tua dedicatos fuisse, sed ad Augustinum instituendum tanquam in seruitutem missos esse existimes. Nam quæ tibi dedicãda sunt, et maiora,

& meliora sint necesse est. Ea si quando à nobis scribentur, ad te potißimum scribentur. Hos interea libros accipies, ut tibi aut non legendos, aut si legeris, emẽdandos putes. Dabis autem operã, ut hæc quæ præcepta sunt, ab Augustino non discantur solum, sed diu multumq; exerceãtur. Omnis enim dicendi, scribendiq; facultas, una exercitatione perficitur. Quam quidẽ ad rem, ne quid ei deesse poßit, me, quum uolet, socium, adiutoremq; habebit. Sed suauitate consuetudinis tuæ, & studio tecum colloquendi, euectus sum longius fortasse, quàm debebam; breuius certè, quàm uolebam. Quamobrem ad ipsam nunc præceptionem ueniamus.

LIPPI BRANDOLINI DE RAtione Scribendi Liber I.

Quid sit epistola, & unde dicta sit. Caput I.



VONIAM IGITVR *omnis sermo noster de scribendi ratione futurus est, eaq; in epistola tanquã in subiecto quodam, & quasi speculo demonstranda est, placet primùm philosophorum more definire quid sit epistola, ut intelligatur, quid sit id de quo disputetur: atq; eam in sua genera diuidere, deinde de rebus ad scribendi rationem necessarijs pertractare, tum singulorum præcepta tradere, atq; ad ea nostram orationem accommodare. Est igitur epistola, sermo ad absentes, de re ad eorum alterum pertinente conscriptus.* Græci ἐπιστολὴν eam uocant, ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν, quod est *mittere. Nos quanquã epistolæ nomen in tam frequentem usum recepimus, ut nostrum quodammodo fecisse uideamur, tamẽ literas appellamus: illud autem in soluta oratione seruamus, ut ad elementorum differentiam eas in plurali duntaxat numero, quas ad absentes scribimus, Literas appellemus. Poetæ singularem etiam numerum usurpant.*

De inuentione, & generibus epistolarum. Cap. II.

A quibus uerò primùm inuenta sit epistola, neq; ego satis exploratum habeo, neq; existimo quæri curiosius oportere. nō enim ad eam, quam suscepimus, institutionem magnopere pertinet: neque à rerum gestarum scriptoribus, quod ego sciam, memoriæ proditum est. Illud inter omnes constat, hoc scripti genus omnium antiquißimū esse. Nam quum primum literæ inuentæ sunt, statim ad absentes scribi cœptæ sunt: & fortasse hac potißimum de causa etiam sunt inuentæ, ut cum absentibus quasi cum præsentibus loqueremur. Neceßitatis enim gratia, quum antea non essent, inuentas certum est: ut absentes, ea quæ audire, aut uidere non poterant, quoquo modo cognoscerent. Quod quidem hinc uel maximè deprehendi potest, quòd Aegyptij antequam literarum usum haberēt, figuris quibusdā, atq; imaginibus rerum depictis, quæ ἱερογλυφικὰ dicebantur, ea quæ uolebant, designabāt. Ex quo fit, ut scribendarū epistolarum consuetudo antiquißima sit, neq; habeat autorem ullum satis certū, cui eius rei aßignari poßit inuentio: sed sit ante ullas literas ab ipsa neceßitate inuenta, imò cum ipsis penè hominibus nata. Scribendi autem illa potißimum causa

fuit,

fuit, ut cum absentibus de nostris, uel aliorum rebus communicaremus: quæ ratio aßignari utilitati potest. Acceßit deinde etiam animi delectatio, ut cum amicis iocaremur, eorumq; consuetudine etiam absentes frueremur: qui quidem amicitiæ fructus est maximus. Finis autem epistolarũ scriptori est ille idem propositus, qui oratori: ut doceat, ut moueat. nam delectare, quod tertio loco posuit Cicero, in mouendi parte collocandum puto. Quid enim est aliud delectare, quàm animum ad lætitiam, ad uoluptatem, ad cupiditatem, ad spem, et cæteros affectus concitare? Sed Cicero aliam fortasse rationem est secutus. nos duplici tantum fine contenti, docendi, & mouendi, Epistolarum duo genera omnino existimamus esse: alterum, quod ad docendum: alterum, quod ad mouendum sit. Ac superius illud quidem, ac maximũ docendi genus, quùm latißime pateat, duo genera ex sese facit: unum, quod in præceptis & studijs liberalium disciplinarum: alterum, quod in actionibus uitæ ciuilis, ac negotijs positum est. illud studiosum, siue contemplatiuum: hoc actiuũ, siue negotiosum possumus appellare. Ac studiosum quidem illud in duo rursus genera diuiditur: Vnũ, quod ad res diuinas pertinet, quod Apostoli secuti sunt, item Dionysius Areopagita, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, alijq; complures:

Alterum,

Alterum, quod ad uirtutes, moresq́;, & instituta philosophiæ tradenda maximè accommodatum est. Quo ex Græcis Democritus, Plato, aliiq́; permulti frequenter usi sunt, ex nostris potißimum Seneca. Illud uerò, quod actiuum appellauimus, quoniam in summa uitæ communis uarietate uersatur, certis generibus comprehendi non potest: species habet penè infinitas. In eo, quoniam latißime patet, atque ad omnes pertinet, omnes penè uersati sunt, hodieq́; uersantur: sed ex omnibus quos habeamus, ut in cæteris quæ ad doctißimũ hominem spectant partibus, ita in hac maximè floruit Cicero. Posterius illud scribendi maximũ genus, quod ad mouendum accommodatum esse diximus, in duo item distinguitur genera: unum, quod ad concitandos: alterum, quod ad sedandos animi affectus pertinet. hoc instituendi gratia remißiuum, illud concitatiuũ, opinor, appellemus. In horum utroq; ita uersatus est, atq; excelluit Cicero, ut cum illo cõferri poßit nemo. Nec desunt, qui hoc mouendi genus non in hæc duo concitandi, & sedandi, sed in alia duo distinguant genera: quorum alterum sit seuerum & graue, quod ad tristitiam, metum, iram, dolorem, affectusq́; grauiores uel concitandos, uel sedandos pertineat: alterum familiare, & iocosum, quod affectus habeat iucundiores, materiamq́; leuiorem. Ego superiorem

periorem diuisionem, quæ & melior & clarior est, magis probo. Atq; hæc ferè sunt epistolarum genera. Species uerò, quoniã innumerabiles sunt, persequi infinitum & superuacuum esset. Nos *eas, quæ & insignes, & necessariæ maximè uidebuntur, cum ad earum præcepta peruenerimus, colligemus.* Nunc *in quo genere causarum uersari poßit epistola, ostendemus.*

In quo genere causarum uersetur epistola. Cap. III.

Tria *sunt causarum genera, quæ recipere debet orator, ut & Cicero tradit, & omnes fermè scriptores consentiunt:* Demonstratiuum, *quod in alicuius laude, aut uituperatione est positum:* Deliberatiuum, *quod habet suasionem, & dissuasionem:* Iudiciale, *quod habet accusationem, uel defensionem, cum petitione.* Horum *generum quod potißimum epistolæ proprium dici poßit, non uideo.* Nam *tametsi in epistola multos sæpe laudamus, multos uituperamus: suademus item, & dissuademus: accusamus, & defendimus, ac petimus: non tamen ea propria dicenda sunt epistolarum.* Id *enim propriũ cuiusq; rei dicitur, quod ei uel soli, uel maximè conuenit, quo quidem res illa carere sine suo magno detrimento & imminutione nõ potest: ut risus hominis, numerus carminis proprius esse dicitur.* His *autem generibus*

causarum

causarum magna pars epistolarum caret, ut non modo ea non desideret, sed ne recipere quidem ullo modo possit. Quo enim ex generibus utuntur, qui per epistolam narrant res gestas, qui negotia exponunt, hi qui docent, hi qui iocantur, qui deniq; uarios affectus describunt? Sed laudatur etiam in his epistolis, aut uituperatur aliquis. Incidunt sæpe consultationes, petitiones, & alia his similia, fateor: non tamen est illa principalis epistolæ subiecta materia, quam tractet, & in qua uersetur, sed extrinsecus accersita. habere autem multas etiam epistolas laudem, uituperationem, deliberationem, petitionem, & quæ sunt eiusdem generis, ut propriam, principalemq; materiam: & tunc ea causarum genera recipere posse, non negauerim. sed esse omnibus epistolis tanquã propria recipienda, non censeo. Recipere hæc igitur omnia causarum genera, ut aliena interdum potest, ut propria semper non potest. Sed de generibus causarum satis.

De rebus ad scribendum necessarijs. Cap. IIII.

Tria igitur habere debet is, qui ad scribendum accedit: inuentionem, dispositionem, elocutionẽ. nam memoria, & pronunciatio, quæ oratori maxime necessariæ sunt, huic non sunt ita expetendæ. Eã enim quæ literis mandamus, memoria & actione

actione non egent. Inuentio est, excogitatio earũ rerũ quas scribere uolumus. Veræ, an falsæ sint, non semper refert. non enim idem finis semper nobis propositus est, qui oratori, ut persuadeamus: sed delectare interdum eum ad quem scribimus, apologis & iocis, satis ducimus, quos ueros esse non semper est necesse. Dispositio est, conueniens rerum inuentarum ordo in singulis rebus, partibusq; seruandis. Elocutio est, elegans & ornata uerborum, sententiarumq; compositio. Harum partium ut inuentio est maximè necessaria, (scribere enim quicquam, nisi prius inuenerimus, non possumus) ita elocutio meo iudicio difficillima, nobis præsertim, qui hanc linguam non quasi patriam habemus ut ueteres, sed quasi peregrinam discimus: neq; habemus ex illorum scriptis sanè multa, ex quibus poßimus absolutè linguam perdiscere. multa enim sunt, quæ quo modo latinè exprimamus, non habemus. Quamobrem multo magis est in elocutione nobis, quàm ueteribus, elaborandum. Hanc tamen, et reliquas partes tribus illis rebus, quas tradit Cicero, assequi poterimus, arte, imitatione, exercitatione.

De arte, imitatione, exercitatione. Cap. V.

Ars est præceptio uel ad dicendum, uel ad aliud quippiam agendum accommodata: quæ natu

re tum

ræ tum obseruatrix, tum adiutrix esse, dici pōtest. Ea ueteres magna in scribendis epistolis utebantur. sed eius rei præcepta separatim non reliquere: propterea quòd cum eo, quem instituebant oratorem, coniuncta uiderentur. Nos, qui illud iam assequi non possumus, huic incumbimus, hoc magnum existimamus, hinc præcepta exquirimus. Illud tamen in primis obseruandum est, ut artem, quantū possumus, dissimulemus. illa enim erit optima demum, & artificiosa epistola, quæ minime affectata, artificiosaq; uidebitur. Imitatio est, diligens conatus eius exprimendi, cuius in re aliqua similes esse uolumus. hæc ab optimis est petenda semper. Stultum est enim, ut ait Plinius, sibi ad æmulandum non optima quæq; proponere. Atq; hac quidē in re quem cum Cicerone comparemus, habemus neminem: qui non solum est optimus, sed in hoc genere penè solus. Nam Plinium Nepotē ei qui aliquid eloquentiæ assequi uelit, ego quidem imitandum non puto. Danda est igitur opera, ut Ciceronis quàm simillimi esse possimus. Nam, ut ait Quintilianus, ille se profecisse sciat, cui Cicero ualde placebit. Exercitatio est, assidua consuetudo eius rei, in qua proficere uolumus, faciendæ. Hæc multa scriptione comparatur: cuius rei unusquisq; sibi magister esse potest. Tantum autem hæc una res cùm ad cætera omnia,

nia, tum uel maximè ad dicendũ ualet, ut sola sine cæteris multũ poßit, cætera sine hac nihil omnino. hac ueteres tam frequenter usi sunt, ut Hortensius summus orator nullũ præterire diem pateretur, quo se non aut domi, aut in foro, dicendo exerceret: sæpe utrunq; eodem die faceret. Sed qnoniam quæ res ad scribendum essent necessariæ, & quibus modis eas assequi possemus, satis diximus: nunc ad inuentionẽ redeuntes, eius partes considerabimus: & quo pacto ad epistolã singulæ accommodari poßint, ostendemus.

De partibus inuentionis. Cap. VI.

Inuentio sex omnino partes habet, Exordium, Narrationem, Diuisionem, Confirmationẽ, Confutationem, Conclusionem. harum partium aliæ alijs epistolis necessariæ sunt, omnes omnibus nõ sunt: imò uix existimo posse accidere, ut una eademq; epistola has omnes partes recipiat. Orationis enim tunc, non epistolæ nomen assumeret. pauciores tamen quàm duas, Conclusionem, & aliam quamuis siue Narrationem, siue Confirmationem, habere poteſt nulla. Quando autem sit earum unaquæq; necessaria, suis locis aperiemus. ab exordio enim incipiẽtes, de singulis nunc partibus tractabimus.

De exordio, & causarum generibus. Cap. VII.


Exordium est, artificiosum principium, quo animus uel lectoris, uel auditoris ad legendũ, audiendumue paratur. Eo non *semper in epistola utendum est: quando autem sit utendum, tum causa, tum persona nos admonebit. Causarum genera, ut scribit* Cicero, *quem potißimum autorem sequimur, sunt quatuor: honestum, turpe, dubiũ, & humile.* Honest*ũ est, quum recta defendimus, oppugnamusq́; contraria: ut quum homines ad uirtutes cohortamur, deterremus à uitijs. Turpe contrà genus est, quum ea quæ uidentur ab omnibus uituperanda, defendimus, & laudamus: aut quæ laudanda, uituperamus: ut si quis uirum bonum, & quem omnes laudandum putent, uituperare, & in odium eius ad quem scribit, adducere uelit: aut contrà, si quis obscurum & ignauũ hominem, & qui malus ab omnibus iudicetur, commendet, & bonis ac studiosis anteponendum ducat.* Dubium *genus est, quod habet in se turpitudinis & honestatis partem: ut si quis clarum atque honestum hominem, cæterùm flagitiosum & improbum commendet, ac præferat.* Humile *genus est, quum rem uel nostram, uel eorũ ad quos scribimus, dignitate multo minorem, inferioremq́; tractamus: ut si quis à summo* Pontifice *uel par-*

nam uestem, uel exiguam pecuniam per literas petat. Personarum uerò tria genera sunt: nostra, qui scribimus, eorum ad quos scribimus, & eorum de quibus scribimus. Causa igitur posita, personæ considerandæ sunt. Si honesta sit, nec ualde grauis, aut difficilis, & inter pares personas sæpius agitata, aut nullo, aut peregrino exordio utendum est. Si noua, grauis, aut difficilis: item si is ad quem scribimus, nos uel ætate, uel dignitate, uel honore, uel potentia, uel uirtutibus, uel alijs partibus antecedat, longiori exordio uti necesse est. Si de negotijs notis inter nos, usitatisq; ad quemuis scribamus: item si literis aliorum respondeamus, propositio rei, de qua scripturi sumus, pro exordio erit. Cætera causarum genera aliud atque aliud, omnia tamen exordium exigunt. Nos quum de singulis epistolarum generibus præcepta trademus, quo pacto in singulis exordiri conueniat, aperiemus. Illud in præsentia satis erit admonere, in omni exordio lectorũ animos quàm maximè possumus, esse conciliandos. Conciliantur autem tribus illis rebus, beneuolentia, docilitate, attentione: sed beneuolentia in primis. ea captatur uel à rebus, uel à personis. à rebus quidem, si eas utiles, uel honestas, uel laudabiles, uel cognitione dignas, uel certè iucundas, uoluptatisq; plenas ostendemus: à personis tripliciter

ter pro ea, quam modò fecimus, personárum distinctione. A nostra quidem, si nostram erga illos beneuolentiam, amicitiam, consuetudinem, obseruantiam, seruitutem etiam, si poterimus, si nostram perpetuam uoluntatem, nostra in eos studia, officia, cõmemorabimus: item, si à nobis omnem arrogantiæ, superbiæ, ambitionis, cupiditatis suspicionem remouebimus: si quid de nostra uita, aut doctrina, sine arrogantia proferemus: item, si aut splendorem nostræ familiæ, aut nostras calamitates indicabimus: item, si spem, dignitatem, salutem nostram in illis positam esse dicemus: item, si nostram curam, sollicitudinem, diligentiam in eorum rebus, in eorum salute, aut dignitate esse ostendimus. A lectorum persona beneuolentiam contrahemus, si eorum in nos, uel in patriam, uel in bonos omnes officia, studia, merita, beneuolentiam, obseruantiam, uoluntatemq́; referemus: si eorum sapientiam, mansuetudinem, pietatem, fidem, beneficentiam, animi magnitudinem, constantiam, modestiam, cæterasq́; uirtutes collaudabimus: item, si genus, opes, copias, honores, dignitates, potentiamq́; commemorabimus: atq; hæc omnia ad eam, quam scribimus, materiam accommodabimus. Ab eorum de quibus scribimus, persona beneuolentiam comparabimus, si eorum nobilitatem, uirtutem, probitatẽ,

uitam,

uitam, cæteráq; animi, cùm fortunæ, tum etiã naturæ bona, ut opus esse uidebimus, pro subiecta materia extollemus: item, si quales in patriam, in cæteros amicos fuerint, quales in eos ipsos, ad quos scribimus, futuri sint, ostendemus: item si eorum miserias, calamitates, solitudinem, inopiam, necessitatemq; aperiemus: si ostendemus, quantum fiduciæ, quantum spei, quantum præsidij in illo, ad quem scribimus, positum esse ducant: si omnem illos salutem, dignitatem, fortunas omnes in ipsius potestate collocasse dicemus. atq; his ferè modis beneuolentia parari solet. Dociles *lectores faciemus, si breuiter, quibus de rebus scripturi sumus, dilucideq; ostendemus: si causas, quæ nos ad scribendum adduxerint, proferemus: si rei, de qua scripturi sumus, fundamenta quædam, & quasi semina iaciemus.* Deniq; *nostris legendis attentos reddemus, si pollicebimur, nos de rebus magnis, nouis, inusitatis, & ad communẽ eorum qui legent, utilitatem, dignitatem, laudem, salutemue pertinentibus esse scripturos.* Attentos *faciemus item, si spem, uoluptatem, delectationemq; afferemus: si metum, dolorem, cæterasq; animi perturbationes nostris literis sublaturos, aut magna ex parte sedaturos esse pollicebimur: item si de Deo, de rebus cœlestibus, de summa religionis, de summa reip. tractaturos nos esse dicemus:*



mus: deniq; si alio, quàm cæteri solent, modo scripturos nos esse ostendemus. His ferè modis animi lectorum in principijs conciliantur. Fiunt autem hæc tum apertius, tum occultius, pro causæ honestate, ac dignitate personæ. quum apertius fiunt, principium: quum occultius, insinuatio dici solet: quæ fit, cum causæ aut personæ diffidimus, ut is ad quem scribimus, causæ aut personæ genere offendatur, & tamen in nostram sententiã ueniat. Fit autem ita, ut cùm id maximè agimus, minimè agere uideamur. Quod in commendatitijs Ciceronis epistolis deprehendi facillime potest. atq; hæc duo sunt exordiorũ genera. Neq; ignoro me multa præterijsse. omnia enim complecti, superuacuum esset: & prudentẽ esse eum qui scribit, necesse est. Præceptis præterea nostris aditum ingenijs patefacimus, non res terminamus. Si quid tamen addendum uidebitur, quum de singulis epistolarum generibus agemus, latius explicabimus. Ac de uirtutibus quidem exordij satis nunc, pauca de uitijs attingemus.

De uitijs exordiorum. Cap. VIII.

Vitiorum autem alia tam epistolis, quàm orationibus, et omnibus penè scriptorum generibus communia sunt: alia propria epistolarũ. Communia

nia sunt, quæ Cicero & Quintilianus tradunt. Vitiosum enim exordiũ, ut ambo scribunt, est, quod ad plures causas accõmodari potest: quod ab illis uulgare appellatur. Quale est eorũ, qui tenuitatem ingenij sui semper excusant: quod Quintilianus scribit aliquando non oratoribus euitatum fuisse. id meo iudicio adolescentium est propriũ, uel eorum qui non satis cogniti sunt, & tum primùm ad dicendum scribendumue accedunt. Vitiosum item exordium est, quod non est cum ipsa re de qua agimus, coniunctum, sed affectatum, & aliunde accersitũ de industria uidetur: quod Quintilianus translatum appellat. qualia sunt, meo iudicio, Salustij procemia in Catilinarium et Iugurthinũ bellum. Nonnulli enim nõ quæ ad rem maximè faciunt, sed quæ ipsi optimè sciunt, ea potissimum scribunt. Vitiosum item exordiũ est, quod nimis longũ est pro subiecta materia. Quanquã autẽ terminus exordio præscribi non potest (alia enim alijs longiora debent esse) uidendum tamen est, in epistola præsertim, ne longius exordiũ sit, ne epistola quasi monstruosum corpus caput cæteris membris maius habeat, & tota penè exordium sit. Est item uitiosum exordiũ, quod nimis apparatum, uerbisq; exquisitioribus atq; obscurioribus compositum est, quod lectori atque auditori tum suspicionem, tum tædium affert: suspicio-

nem quidē, quia se dolo peti et circumueniri putat, quum nimis compositam, & quasi phaleratam orationem uidet: tædium uerò, quum non sine difficultate intelligit quæ legit. In quod uitium pleriq; nostris temporibus incidunt. qui tum se optimè atq; elegantißimè loqui putant, quum obscurißimis atq; ab usu remotißimis, aut longißimè translatis uerbis utuntur. Atq; hoc uitium si quibus uitandum fuit unquam, nobis præcipuè uitandum est, cùm quia non semper cum doctißimis agimus, tum quia in leuißimo scriptorum genere, hoc est epistola, plerunque uersamur. Nam quum scripta omnia dilucida ac facilia esse debeant, quippe quæ propterea eduntur, ut legantur atq; intelligantur, neq; semper à doctißimis legi possunt: hoc epistolæ maximè proprium esse debet, ut facilis, ut dilucida, ut perspicua sit: quæ, ut suprà diximus, neceßitatis gratia inuenta est, ut cum absentibus de rebus communibus colloquamur. neq; semper ad doctos scribitur, & responsum semper expectat, sæpe etiam spacium excogitandi nō habet. Ideo dixerunt nonnulli, extemporalem eam, et quodammodo negligentius scriptā uideri debere. Sed ut ad exordia reuertamur, dabimus operam, ut quū uniuersa epistola, tum uel maximè exordium, simplex, dilucidum, et perspicuum sit, & animos lectorū tribus illis modis, beneuolentia

neuolentia, docilitate, et attentione cōciliet. nam qui hæc non assequetur, uitiosum sine dubitatione se fecisse intelliget. Atq; hæc omnibus scriptis communia uitia sunt.

De salutatione, & principio epistolarum. Cap. IX.

Proprium uerò uitium epistolarum est, quū uel salutationem in principio nō apponimus, uel alio quàm deceat modo apponimus. Quo loco illorum error mihi corrigendus est, qui quū ad magnos uiros scribunt, illorū nomen suo preponūt. sic, Innocentio Pontifici Max. Lippus Brandolinus S.D. *existimantes dignitatem aliquam inesse in illa nominis præpositione: quæ profectò nulla est. Sed emanauit hic error à nonnullis religiosis uiris, qui quū ad* Episcopos, *uel ad* Pontifices *scriberent, reuerentiæ gratia illorū nomen suo præponebant. quos quidē autores in uita imitari debemus, in lingua non debemus, si ueterum illorū in scribendo similes esse uolumus. Est tamen hodie ita corrupta dicendi scribendiq; consuetudo, atq; ita ab ea quæ olim erat, immutata, ut qui suum nomen* Pontificis *nomini præposuerit, superbus atq; impudens uideatur. Itaque hoc uniuscuiusque prudentiæ arbitrioq; relinquo. Illud admonere satis est, eum qui ueterum illorum simi-*

lis esse uelit, nomen & cognomen suum præponere in salutationem debere: nam prænominibus nos quidem nõ utimur. deinde illius ad quem scribit, similiter nomen cognomenq; apponere, sic: Lippus Brandolinus Francisco Picolmineo S. P. D. Multi etiam, Suo, addunt, è quibus est Plinius: Cicero non addit. Id quidem, quoniam non magni momenti est, addamus nec ne, non magno pere laboro. Dignitatẽ autem eius ad quem scribimus, omittendam in salutatione non puto: sed nostra neque omittenda est, quum insignis est, uel quũ ad pares aut minores scribimus, sic: Franciscus Picolmineus Cardinalis Senensis, Oliuerio Carraphæ Cardinali Neapolitano, uel Lippo Brandolino, S. P. D. quanquam sacerdotes nomen familiæ nouo quodam instituto non apponunt. Principium autem epistolæ nomen eius ad quem scribimus, nisi certis de causis, habere non debet. Causæ autem sunt, ut uel aliquem affectum animi exprimamus: ut, Ego uerò Serui uellem, ut scribis, in meo grauißimo casu affuisses. Vel ut in re admodum graui attentiorem habeamus auditorem: ut, Ego Lentule initio rerum atq; actionum mearum. Vel quum aliquid uehementius exprimere uolumus, quod non in principio modò, sed in tota quoque epistola fit: ut, Vrbem mi Ruffe cole, & in ista luce uiue. Seneca ferè semper no

men

men eius ad quem ſcribit, apponit: Plinius, quod ego meminerim, nunquam: Cicero his ferè, quas expoſui, cauſis. Atque hæc de exordio in præſentia ſatis. nunc ad narrationem accedemus.

De narrationum generibus. Cap. X.

Narratio (ut ſcribit Cicero) eſt rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum expoſitio. eius alij tria, alij plura genera fecere: ego duo tantum eſſe puto. Vnum, quod ad negotia, & ad ciuiles cauſas accommodatum eſt, quod actiuum, ſiue negotioſum appellari poteſt. Alterum, quod ab uſu fori, negotiorumq; remotum, domi tantum, & in otio exercetur: quod domeſticum, ſiue ocioſum, opinor, uocemus. Ac ſuperius illud quidem dicendi genus, quoniam certum finem ſibi propoſitum habet, ut efficiat quod uult, ſiue laudet, ſiue deliberet, ſiue defendat, ſiue aliquid horum contrarium faciat, ita tractandum eſt, ut non quæcunq; geſta ſint, ſed quæ ad noſtram maximè cauſam faciunt, exponamus. Eius genera ſunt duo. unum, quod ad totam rem, & cauſam exponendam pertinet: qualis eſt narratio Clodianæ cædis apud Ciceronem pro Milone: quod genus epiſtolarũ frequenter recipit in negotijs, in laudationibus, petitionibus, commendationibus. Alterum eſt, quod

rem uel causam nonnunquam intercurrit, aut exempli, aut affectus mouendi, aut comparationis, aut asseuerationis, aut alia simili de causa, quod fortuitum, siue accidentale possumus appellare: qualis est narratio Seruij Sulpitij ad Ciceronem in ea epistola, Posteaquam mihi renunciatum est. Quum inquit: Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, uolo tibi commemorare. Eius plures species facit Quintilianus. quum persona exactius describitur: ut, M. *Acilius* Palicanus *humili loco:* Picens, *loquax magis, quàm facundus. quum locus describitur: ut, Est in* Hetruria Sena *urbs, & natura & arte munitißima. quum tempus: ut, Veris initio, quum omnia florere incipiunt.* Præterea *quum alicuius belli, seditionis, pestilentiæ, aut alterius rei causa describitur. Quo toto genere frequenter in omnibus epistolis utimur.* Alterum *illud genus narrationis, quod otiosum, aut domesticum appellauimus, in duo genera distribuitur, historicum & poeticum.* Historica *narratio, quia ueram atque integram rerum gestarum cognitionem sibi propositam habet, ita tractanda est, ut nihil falsi dicamus, nihil ueri omittamus.* Hac *etiam in epistolis nonnunquam utimur, quum nostras uel aliorum res gestas conscribimus: quales sunt multæ è* Cilicia *missæ* Ciceronis *epistolæ.*

Poetica

Poetica narratio, quia non similis est, & delecta tionē plerunq; finem habet, non eodem semper modo tractanda est. Aliter enim comici, aliter tragici: item aliter heroici, aliter elegi narrant. Omnes tamen uarietati atq; delectationi inseruiunt. ea paratur festiuitate sermonis, uariorum ac dissimilium affectuum concitatione, diuersorum tum animorum, tum euentuum expositione, iucundo exitu rerum, ut scribit Cicero. hæc tota narratio, nisi ioci gratia ueniat in epistolam, alia de causa, quod ego quidem sciam, nunquam uenit.

De uirtutibus narrationis. Cap. XI.

Omnis autem narratio tres habeat uirtutes necesse est, ut sit breuis, dilucida, uerisimilis. Breuis erit, si inde narrare cœperimus, unde cognosci rem necesse est: neque ab ultimo initio repetemus. ut si quis Romani ciuis nobilitatem explicare uolens, incipiat ab aduentu Aeneæ in Italiam: quod in historia tolerabilius esset, quæ causas rerum initiaq; explicet necesse est: in epistola non conuenit. Breuiter etiam narrabimus, si summatim res, non particulatim exponemus. quale esset illud: Cicero uesperi domum applicuit, ex equo descendit, domum ingressus est, pallium deposuit,

posuit, suos salutauit. quæ omnia satis intelligentur, si domum tantum uenisse Ciceronem dixerimus. nisi quid ex particularibus illis ad rem nostram causamq; conueniat: ut si uelimus inferre, insidias Ciceroni à domesticis in illa salutatione paratas fuisse. Breues item erimus, si nullis transitionibus et digreßionibus utemur: ut sunt aliquando in metamorphosi Ouidij, qui fabulam fabulæ interponit. Sed quod in eo poemate uirtus est, in epistola aut historia uitium esset. Rem etiam bis aut sæpius non repetemus, sic: Venit Romam Augustinus: postquam uenit, domum applicuit: ubi uerò domũ applicuit, benignè à suis exceptus est. Ita etiam consequẽtia narrabimus, ut ex illis antecedentia intelligamus: ut, si te Romam rediisse dixeris, discesisse quoq; te facile intelligat. Deniq; rerum exitus longius quàm opus sit, nõ persequamur: ut si propositũ sit, tuum ad urbem reditum narrare, prosequaris etiam quicquid in urbe postea feceris. Præterire autem quicquam ex re gesta, ubi rei notitia sola petitur, non oportet. Vbi narratio ad finem aliquem laudis, deliberationis, iudicijúe dirigitur, non ea modò quæ obsunt, sed ea etiam quæ non prosunt, omittenda sunt. Dilucida erit narratio, si ordinem rerum gestarum, temporum, locorum, personarumq; seruabimus: si nihil quod extra rem sit interponemus: si

nihil

nihil obscurè, nihil contortè, nihil concisè aut contractè proferemus: si proprijs atque usitatis tum uerbis, tum sententijs rem exponemus: si ambitu, (siue ut Cicero appellat) comprehensione uerborum longiore, quàm necesse est, nõ utemur: si circuitiones & quasi ambages omittemus: si non deerrabimus ab eo quod cœperimus: deniq; si ea quæ paulo antè tradita sunt breuitatis præcepta obseruabimus. Verisimilis siue probabilis erit narratio, si omnia locis, temporibus, rebus, personis conuenientia proferemus: si, ut res gesta est, aut geri potuit, ita narrabimus: si nihil difficile, nihil incredibile, nihil fabulosum, aut à facultate hõminum, memoriaue remotum, & monstro ferè simile proferemus: si rei, quam narrabimus, argumenta, signa, testimonia, quatenus egere uidebitur, ostendemus: si eam probabilem nostra, aut illustrium uirorum fide, asseueratione, aut autoritate faciemus. Ac de narratione quidẽ hactenus.

De diuisione. Cap. XII.

Diuisio est distributio totius uel orationis, uel alterius rei in suas partes. ea narrationẽ statim sequi debet. Atq; in iudicialibus quidẽ causis primũ dicendũ est, quid nobis conueniat cũ aduersarijs, quid in cõtrouersia sit: deinde enumerandæ, atq; exponẽdæ breuiter partes, de quib. dicturi sumus: quæ plures aut pauciores tribus (ut Cicero præ

cipit)

cipit) esse non debent. In domesticis uerò & deliberatiuis causis neq; diuisio semper adhibēda est, neq; quid nobis conueniat cum aduersarijs exponendum, sed explicandæ tantum partes de quibus dicturi sumus. hoc plerunq; post exordiū fit. narratio enim in his causis nō ita semper necessaria est. Epistola meo iudicio uel nunquam, uel quàm rarißimè diuisionem recipit. nam quū illud quasi proprium habere debeat, ut minimè excogitata atq; artificiosa uideatur, illa partiū enumeratione non indiget. Præterea unica ut plurimū in ea tractatur materia, eaq; simpliciter. Quod si pluribus de rebus eodem tempore scribendū sit, quoniam auditoris aut lectoris memoriā non magnopere expetunt, satis est, si re priore absoluta, aliam, et deinde aliam subtexamus. Si autem duabus pluribusue epistolis eodem tempore respondere uelimus, poterimus uti diuisione, siue propositione, hoc modo: Binas abs te accepi literas, alteras Calendis, alteras Nonis datas: quibus ut uelle uideris, ego suo ordine respondebo. Illi quoque, qui aliquid per epistolas docent, præsertim cum quæstionibus interrogationibusq; respondent, diuisione utuntur, hoc modo: Petis à me, ut tibi quæstiones tres per epistolam declarem. quibus breuiter explicatis, subiungemus in hanc sententiam pauca: Faciam, ut potero, breuiter,

& eo ordine, quo requiris, quo quidem modò Hieronymus sæpißime utitur. Ac de diuisione satis, nunc ad reliquas partes transeamus.

De confirmatione & confutatione. Cap. XIII.

Diuisioni proxima est confirmatio, & confutatio: quæ partes quoniam & difficilimas tractationes habent, et frequenter in epistolas ueniunt; accuratiùs explicandæ sunt. Nam siue docere, siue monere uelimus, probemus, quæ dicimus, necesse est, refutemusq; contraria. Sed quum aliud sit, epistolas domi scribere, aliud in foro causas agere: aliaq; sit epistolæ, alia sit orationis ratio: nō est utraq; eodem modo tractanda. Nos itaq; omissis his, quæ fori & iudiciorum propria sunt, ea quæ uenire in usum scribentiū solent, tantū persequemur. Quoniam autem ex quibus locis confirmatio sumitur, ex hisdem sumitur cōfutatio, neq; nostra satis cōfirmare possumus, nisi aliena refellamus, de utraq; mihi primò coniunctè, deinde etiā separatim dicendum esse existimaui. Est igitur confirmatio, nostrarum rerū artificiosa comprobatio: siue (ut Cicero definit) nostrorum argumentorum expositio, cum asseueratione. Confutatio est, contrariorū locorū dissolutio. Vtraq; rationibus atq; argumentis tota conficitur. Argumenta autem è certis locis, & sedibus eruun-

tur. Nos prius de argumentis pauca dicemus: dein de locos, è quibus argumenta eliciuntur, quantùm res postulabit, breuiter attingemus.

De argumentis. Cap. XIIII.

Argumentum est igitur (ut omnes definiunt) ratio rei dubiæ faciens fidem. uel (ut apertius dicàm) est ratio, quæ incerta & incognita per ea quæ certiora & notiora nobis sunt, probat. Id in duo genera omnino distribuitur, probabile, & necessarium. Probabile (ut Boetius definit) est id quod omnes, aut quamplurimi, & sapientes, & in ea re de qua agitur, periti, sic esse consentiunt. quale est illud: Si mater est, liberos diligit: item, Si literis operã dedit, aliquid scit. Est enim apud omnes probabile, eam quæ mater est, filios diligere: & eum qui literis operam dederit, aliquid scire. non tamen ita necessarium est, ut aliter esse non poßit. Atq; hoc genus oratorum & dialecticorum est proprium. Necessarium est id, quod etiam si apud omnes non probetur, aliter se habere non potest. quale est illud: Quum terra inter lunam & solem posita fuerit, luna deficiet: item, Quum luna soli ac terræ se interposuerit, sol deficiet. lunam enim terræ interpositione, solem uerò interpositione lunæ deficere, tametsi non omnibus probabile uideatur, ita tamen necesse est, ut aliter se habere non poßit. Atq; hoc genus philo-

sopho-

ſophorũ mathematicorumq́; propriũ eſt. Vtrunque autem hoc genus ſi inter ſe coniungatur, parit ex ſeſe genus tertium, quod probabile, & neceſſarium nuncupatur. quale eſt: Si dies eſt, lux eſt: item, Si currit, mouetur. Vtrunq; enim & apud omnes probatur, & ſic eſſe neceſſarium eſt. quod quidem genus ut eſt ex genere utroq; compoſitum, ita etiam omnibus, quas memoraui, diſciplinis conuenit, & commune eſt. Ac de argumentorum quidem generibus ſatis, nunc de eorum formis pauca dicamus.

De formis argumentorum. Cap. XV.

Argumentorum formæ duæ præcipuè ſunt, inductio, quæ à Græcis ἐπαγωγὴ: & ratiocinatio, quæ συλλογισμὸς ab illis appellatur: à quibus aliæ duæ ducunt originem: exemplum, quod Græcè παράδειγμα dicitur: et ἐνθύμημα, quod Quintilianus commentum, ſiue commentationem interpretatur: quibus omnibus non oratio modò, uerũ etiã epiſtola, & omne ſcripti genus frequentiſſime utitur. Nõ inconueniẽs mihi uidetur, ut de his ſingillatim, quàm breuiſſimè poſſumus, præcipiamus, ab inductione potiſſimum incipientes.

De inductione, & exemplo. Cap. XVI.

Inductio igitur est oratio, quæ per similitudines particulares, non dubias, rei dubiæ, siue illa particularis, siue uniuersalis sit, assensionem elicit. Eam plerunq; Cicero per interrogationes facit, ut plurimis, de quibus nulla dubitatio esse possit, similibus collectis rebus, hisq; omnibus nobis per interrogationem concessis, de re, quam uolumus, demum interrogemus: ut quum ille similitudine uictus, negare non poßit, uel tacere, quod assensionis genus est, uel aperté, quod uolumus, fateri compellatur. Ea utemur hoc modo. Sit aliquis, quem ad literarum studia compellere cupiamus, eum nos per inductiones ita compellemus. Si ciuis tuus plus opum habeat, quàm tu, tuas'ne, an illius opes malis? illius profectò, respondebit. quid si ciuis tuus plus potentiæ, aut auctoritatis, quàm tu, in ciuitate habeat, tuam'ne, an illius, cedo, potentiam, atq; autoritatem malis? illius uerò, dicet. tunc nos inferemus. at si quis ciuis tuus plus doctrinæ, atq; eloquentiæ habeat, quàm tu habes, tuam'ne, an illius malis? illius profectò malle se, cogetur respondere, aut certé conuictus tacebit. tunc nos, siue taceat, siue fateatur, quod uolumus concludemus. Atq; hæc inductio per interrogationes fit, & particularia concludit. Potest & uniuersa affirmãdo concludere, hoc modo. si superare alios ciues opib. uolumus, si honoribus, si dignitatibus,

gnitatibus,si potentia,si autoritate,si gratia cupimus eos anteire,propterea quòd hæc honestißima, & præclaro ciue dignißima existimamus: profectò omnibus quoq; rebus, quæ honesto & præclaro ciue dignæ habentur, præstare alijs,& antecellere uelle debemus. Atq; hoc in genere tria esse præcepit Cicero: primùm, ut res illæ, quas per similitudinē inducimus,ita certæ atq; indubitatæ sint, ut eas omnino concedi nobis necesse sit: deinde,ut id cuius causa fiet inductio,ita simile sit his rebus,quæ antè allatæ concessæq; sunt,ut refugi,aut negari similitudo non poßit:postremò,ut similitudines tales inductæ sint,ne intelligi poßit quò spectent,aut quem ad exitū peruenturæ sint. nā qui uidet ex primis interrogantibus,si assenserit,sibi postea cōfirmandū esse quod nolit,aut nō respondēdo,aut malè respondēdo,longius procedere interrogationes nō sinet. Atq; hoc postremū in ea inductione,quæ per asseuerationem fit,non ita seruari necesse est. Potest autē inductio falsum etiam aliquando cōcludere,hoc modo. Qui scit canere,cantor est:luctari, luctator est:qui scit literas, literatus est:ita etiā, qui scit mala, malus est. quæ quidem falsa conclusio est.uirtutes enim scire sine contrariorū,hoc est uitiorum scientia nō possumus. quo quidem modo si quis contra nos argumentetur,facile confutari ac refelli poterit.

Ex inductione autem exemplum nascitur, quod ex inductione particulari particularem conclusionem facit, hoc modo: Vt Græci Homerum summopere uenerantur, ita nos Virgiliū summopere uenerari debemus. Ac de inductione quidem, et exemplo satis, diximus: nunc ad ratiocinationem transeamus.

De syllogismo, siue ratiocinatione, & enthymemate. Cap. XVII.

Syllogismus, qui ratiocinatio interpretari potest (ut Cicero definit) est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum, & per se cognitum, sua se ui ac ratione confirmet. Boetius syllogismum definit: Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, & concessis, per ea quæ posita & concessa sunt, necesse est aliud euenire. Quæ definitio tametsi uerbis à Ciceronis definitione discrepet, eódem tamen, si rectè consideretur, tendit. Quod enim ait Boetius, Quibusdam positis, & concessis: Cicero ait, Expositum, & per se cognitum. Tum quod ille ait, Necesse est aliud euenire per ea quæ posita & concessa sunt: hic ait, Ex ipsa re probabile aliquid eliciens. Et ut ostenderet, fieri per ea quæ posita & concessa sunt, neque aliunde trahi, quod probatur, subiunxit, Se sua ui ac ratione confirmet. Con

stat

ſtat autem ſyllogiſmus tribus ad minimum partibus: propoſitione, quam dialectici maiorem appellant: aſſumptione, quam illi minorem uocant: & complexione, quæ ab illis conſequẽtia dicitur. eius tale exemplum eſt, ut ſi probare uelis hominem eſſe ſubſtantiam, ſic probes: Omnis homo eſt animal, omne animal eſt ſubſtantia, ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Hic ſpecies habet plures, ſed quoniam his orator nunquam, aut rariſsimè utitur, explicandi eas in præſentia tempus non uidetur. Oratorius autem ſyllogiſmus, quẽ Cicero ratiocinationem appellat, quinq; ad ſummum partibus efficitur: propoſitione, probatione (quæ uel una, uel pluribus rationibus effici poteſt) aſſumptione, alia item probatione (quæ pluribus etiam rationibus atq; argumentis exornari atq; amplificari poteſt) & complexione, quam eandem conclusionem licet appellare. Ea tractatur hoc modo. ut ſi uelim oſtendere ciuitatem melius ab uno, quàm à multis gubernari, ſic oſtendam: Quæ ad publicum commodum gubernanda ſunt, ea melius ab uno, quàm à pluribus gubernantur. Hæc eſt propoſitio, quæ probatur hoc modo: Multi enim & inter ſe ſæpe diſſentiunt, & omnia ad ſeſe rapiũt: unus belli dux exercitui proponitur, unus rector nauem moderatur: deniq; apes ipſæ unũ, qui cæteris præſit, regem creant. Sequitur aſſum

 ptio,

ptio, siue minor propositio. Quid autē est, quod multorum commodum ita respiciat, ita sibi propositum habeat, ut ciuitas, quæ ad omnium est salutē & commodū instituta? Sequitur quoq; huius assumptionis probatio. nam quid aliud agūt, qui uniuersos cingunt, ac sepiunt, nisi ut omnes qui intra sunt, tueantur? quid aliud templa, fora, theatra, cæteraq; urbis tum publica, tum priuata ædificia, nisi ut omnibus seruiant, omnibus usui atq; ornamento sint? leges porrò, iura, magistratusq; qua de causa instituti sunt, nisi ut quæ sua sunt, tutò poßidere unicuiq; liceat? Postremò tot artes, tot studia, tot disciplinæ, quid sibi uolunt aliud, nisi ut omnes in terris commodè uiuere, atq; habitare poßint? Sequitur complexio, quæ si breue sit argumentum, simplex potest esse, hoc modo: Quæ quū ita sint, longè melius ab uno, quàm à pluribus, ciuitas gubernatur. Si uerò longior ratiocinatio fuerit, Complexio breuem epilogum habeat necesse est, hoc modo: Quod si omnia quæ publicum commodum spectant, melius ab uno, quàm à pluribus, gubernantur: nihil autem est, quod æquè salutem omnium commodumq; respiciat, atq; ipsa respicit ciuitas: eam profectò ab uno, quàm à pluribus, satius est gubernari. Potest ratiocinatio carere uel utraq; probatione, uel altera, quum id quod dicimus, ita per se patet, ut proba=

probatione nõ egeat,hoc modo: Si quo die uirgo Romæ uitiata est,ego eo die in Sicilia fui: profe-ctò transferri in me hoc crinem non potest. hæc propositio ita per se manifesta est,ut probatione non egeat. Sequitur assumptio: fui autem in Sicilia. hoc quia inter omnes non constat, probetur necesse est. Quod autem dixi de altera probatione, de altera quoq; intelligi uolo. Potest enim incidere causa,in qua assumptionis probatio non sit necessaria: ut si dicam, Cæcus amore mulierũ capi non potest: amor enim formæ non nisi à re uisa proficiscitur. ego autem,ut uidetis, cæcus sum. atq; hæc assumptio probatione non eget. Potest & tribus tantum partibus constare sine ulla probatione, hoc modo: Si lux est, dies est: lux autem est: igitur dies est. Potest & duabus, quũ propositio tacetur, hoc modo: Lux est, igitur dies est. Atq; hæc à Græcis appellatur enthymema: id (ut diximus) Quintilianus commentum, siue commentationem appellat. Atq; hæc precipuè argumenta sunt oratori necessaria. Et prioribus quidem illis Socrates, & Socratici omnes: posterioribus uerò his Aristoteles, & Theophrastus, & Peripatetici omnes maximè usi sunt. Sunt & aliæ argumentorum formæ quamplurimæ: sed quoniam ad nostram institutionem non pertinent, hoc loco exponendæ non sunt. Hæc quoq; quæ attigi, multi

fortasse reprehendent, & ad scribendi rationem minus necessaria iudicabunt: sed si diligenter aduerterint, apud unum Ciceronem (ut Senecam, Hieronymum, & alios omittamus) hæc omnia frequenter inuenient. Sed de argumentis hactenus. Si quis plura desiderabit, Ciceronem & Boetium legat. nunc de locis, à quibus argumenta ducuntur, disseramus.

De locis personarum. Cap. XVIII.

Locus est quasi argumenti sedes, ex qua ipsum argumētum ducitur. Distribuuntur autem loci duas in partes: in personas, & res. Personis hæc ferè attributa esse scribit Cicero, nomen, naturam, uictum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, casus, orationes. Nomen est, uniuscuiusq; proprium uocabulum. Ducitur autem ab eo argumentum, si quempiam aut laudemus, aut uituperemus, dicamusq; nomen esse personæ uel accommodatum, uel contrarium. Naturam uel omnibus communem, uel propriam uniuscuiusq; definire difficile est. In ea consideratur genus, uirile, an muliebre sit. Alia enim à uiris, alia à mulieribus argumenta ducuntur. Nam in uiro facilius furtum, in muliere facilius ueneficium creditur. Consideratur item natio, Italus,

Gallus, an Hispanus sit: patria, Romanus, Florentinus, an Venetus. Nam & nationum, & ciuitatum singularum proprij mores, opiniones, consuetudines, & instituta sunt: à quibus argumenta ducuntur. Consideratur præterea cognatio, claris, an obscuris maioribus ortus sit, à quibus sæpe argumenta ducũtur: ut fecit Salustius in Ciceronẽ, atq; in eum Cicero. Item ætas: alia enim de puero, alia de adolescente, aut de sene ducuntur. Item commoda, & incommoda, animo, uel corpori à natura data: ut, acutus, an hebes, memor, an obliuiosus sit, longus, formosus, an contrà. In uictu, siue educatione consideratur, quomodo educatus sit, quos præceptores, aut socios uitæ habuerit, quibus cum habeat consuetudinem, quo studio aut artificio teneatur, quomodo rem familiarem administret. In fortuna consideratur, diues, an pauper sit: seruus, an liber: priuatus, an cum potestate: fœlix, clarus, an contrà: quales liberos habeat. Quod si de mortuo loquemur, genus etiam mortis in argumentum ducemus. In habitu corporis considerabimus, si quid commodi studio & arte consecutus sit, quo uel formosior, uel agilior sit effectus. In habitu animi, qua uirtute, qua doctrina præditus sit. In affectione quæretur lætitia, tristitia, metus, molestia, omnis deniq; animi mutatio subita.

In studio, poeticæ, philosophiæ, picturæ, an musicæ deditus sit. In consilio quæretur, quid cogitet, quid deliberet: quãquam hoc Quintilianus ad res magis putat, quàm ad personas pertinere. Facta, casus, & orationes ex tribus temporibus considerantur. nam non modò quid quisq; fecerit, quid dixerit, quid ei acciderit: sed quid agat, quid'ue acturus esse uideatur, cõsiderabimus. Eadem de dictis, & casibus ratio erit. Atq; hæc ferè personis attributa sunt.

De locis rerum. Cap. XIX.

A' *rebus, siue negotijs argumenta multis modis ducuntur. Cicero ea quatuor in partes distribuit. dicit enim, partim esse continentia cum ipso negotio, partim in gestione negotij considerari, partim esse coniuncta negotio, partim gestum negotium sequi. Quintilianus argumenta, quæ à rebus ducuntur, quinq; ex partibus duci affirmat. aut enim qua de causa, aut quo loco, aut quo tempore, aut quo modo, aut per quæ unũquodq; fiat, considerandum esse dicit. Quæ diuisio tametsi à Ciceronis diuisione diuersa esse uideatur, eódem tamen tendit. Nam quæ Cicero cum ipso negotio continentia uocat, Quintilianus causas rerum appellat: quæ Cicero uel in gestione negotij, uel adiuncta, uel consequentia tanquam genera considerat, ea Quintilianus non generatim,*

sed

sed per suas species singillatim exequitur. Nos *quoniam non oratorem instituimus, ut illi faciebant, sed scribendi rationem tradimus, locos tantum illos attingemus, quos ad eam rem esse maximè necessarios existimabimus: ne uel adolescentium mentes his quæ minimè in usu sunt, causis iudicialibus implicemus, uel Ciceronem uel Quintilianum ad uerbum scribere, non aliquid de integro condere uideamur.*

De argumentis à causis rerum. Cap. XX.

Ducuntur igitur argumenta in primis à causis rerum uel actarum, uel agendarum, quum ea quæ egimus, aut acturi sumus, nos aliqua de causa uel fecisse, uel facturos dicimus. quam materiam Quintilianus ab alijs ὕλην, ab alijs δύναμιν scribit appellari. Causæ autem rerum considerantur uel circa bonorum adeptiones, incrementum, cõseruationẽ, usum: uel circa malorum euitationẽ, imminutionem, conuersionem. Quicquid enim facimus, aut boni appetendi, aut mali fugiendi gratia facimus. Hinc *nascitur uberrima argumentorũ materia: siue in deliberando, quum ostendimus quæ bona consequentur, si id fiat quod uolumus: contrà quæ mala, si non fiat: siue in iudicijs, quum ostendimus eum qui accusetur, ex ea re magna uel commoda acquisiuisse, uel fugisse incommoda.*

moda. ut si probemus, Aiacem ab Vlysse occisum esse, ostendemus Vlyssem inimicitias, iniurias, interitumq;, qui sibi immineret, euitasse. Habent hæ quoq; causæ in epistolis magnam argumentorum materiam, siue in commendando, quum ex ea commendatione aliquid commodum euenturum dicimus uel ei ad quem scribimus, uel nobis ipsis, uel ei quem cõmendamus: siue in petendo, quum ex ea re uel nobis, uel amicis, uel his ad quos scribimus, utilitatem, dignitatem, laudem futurã declaramus: siue in consolando, quum ex ea morte & illos qui decesserint, magnam felicitatem habituros, magnis miserijs liberatos: & eos ad quos scribimus, uel aliquod commodum esse adeptos, uel incommodo aliquo leuatos esse ostendimus. Sunt autem & bonorum et malorum falsæ quoq; opiniones, quæ multorum & magnorum errorum causas hominibus præbent. Multa enim uel ut bona appetuntur, uel ut mala fugiuntur: quæ opinione, non re uel bona, uel mala sunt. Atque hinc existunt peßimæ animi perturbationes, odium, ira, inuidia, crudelitas, auaritia, libido, ambitio, spes, metus, & quæ sunt generis eiusdem, quæ materiam argumentandi in omnibus causis amplißimam præbent: quum ostendimus hominem adductum odio, amore, aut alia perturbatione, id de quo quæritur, facinus admisisse. Atq; hic locus

cius in cõsolationibus latißimè patet, maximamq́; uim habet. Possumus enim facile ostendere uel bona, uel certè non mala, quæ illis ad quos scribitur, mala uideantur: illos uerò dolore, uel amore impeditos, quæ recta sint, minus cernere. quem locum exequitur latè Seruius Sulpitius, quum Ciceronem de morte filiæ consolatur. & de causis quidem rerum hactenus.

De argumentis à loco, & tempore. Cap. XXI.

Ducuntur argumenta à loco: in quo consideratur ipsius loci natura, maritimus, an mediterraneus sit, montanus, an planus: Quantitas, ut, longinquus, an propinquus, magnus, an paruus: Qualitas, ut, desertus an frequens, consitus an incultus, præterea sacer an prophanus, publicus an priuatus, alienus, an eius de quo agitur: quæ quidem omnia tametsi fori & iudiciorũ propria magis sunt, ueniunt tamen etiam in familiares epistolas, & in alia scriptorum genera, quum laudamus, uel uituperamus aliquem à loco, unde oriundus sit, in quo uersatus sit: quum suademus, uel dissuademus aliquid, propter loci opportunitatem: quum consolamur, & eum qui descesserit, in patria, in suis ædibus, inter domesticos, & familiares descesßisse, aut honestißimo loco sepultum

tum esse dicimus. quem quidem locum pulcherrimè exequitur Seruius Sulpitius in ea epistola, in qua mortem Marcelli describit. Ducuntur argumenta à tempore, quod uel est generale: ut quum dicimus, olim sub Alexandro, quum reges Romæ regnarent, quum Roma à Consulibus regeretur. uel speciale quid in annos, menses, dies, horasq; distinguitur. Huic Cicero occasionẽ adiungit, quam temporis speciem facit. omnis enim occasio tempus est, sed non contrà. Eius facit tria tempora: publicum, ut bellum, dies festi: commune, ut messis, uindemia: singulare, ut conuiuium, nuptiæ. In omni uerò tempore consideratur, quid gestum sit, quid geri potuerit, quid geri posse uideatur. atq; hoc etiã in epistolam uenit. Nihil enim in negotijs æquè, ac temporis opportunitas, consideratur, siue narremus gesta, siue gerenda decernamus. Hanc quoq; occasionem in Marcelli morte non omisit Seruius Sulpitius. ait enim, post cœnæ tempus occisum esse Marcellum, & manè sibi hora decima nunciatum. Valet etiam occasio temporis plurimum tum in deliberando, tum in consolando. quam quidem partem latißimè tractat idem Seruius Sulpitius, quum Ciceronem de morte filiæ consolatur.

De argumentis ex modo & facultatibus, Cap. XXII.

Ducun-

Ducuntur etiam argumenta ex modo, quum exponitur quo modo, quo animo aliquid à nobis, uel ab alijs factum sit. Eius partes sunt, prudentia, & ira. Prudenter aliquid factum existimatur, quum ui, dolo, consilio, persuasione, mente deniq; tali factum est. Imprudenter contrà factũ dicitur id, quod per inscitiam, casum, neceßitatem; quòd præterea per affectionem animi, iram, odiũ, amorem est factum. Veniet autem hic locus in epistolas, quum nostrum, uel alterius factum accusabimus, uel excusabimus, et ueniam petemus. Hoc Cicero sæpe facit, quũ accusat Pompeium, quòd ita bellum administrauerit: & quum se ipsum excusat, quòd affuerit. Facultates etiam epistolis præstant argumenta in petitionibus, commendationibusq;, præsertim quum ostendimus habere eum ad quem scribimus, magnam eius rei quam petimus, præstandæ facultatem. Conferunt etiam plurimum in deliberando; quũ exponimus quæ necessaria sint ad eam rem quam scribimus, faciendam. Hunc locum tractauit Cicero, quum de ratione traducendæ uitæ cum Seruio Sulpitio consultaret. Conferunt etiam facultates ad reprehendendum, uel excusandum. cuius rei exemplum est apud Ciceronẽ ad eundem Seruium, quum Pompeium accusaret, quòd neq; militum genere, aut robore, neq; consilio satis ualeret.



De adiunctis negotio. Cap. XXIII.

Sequuntur ea quæ Cicero adiuncta negotio appellat, qui loci sunt plurimi, quos ipse breuißimè perstingit, Quintilianus latißimè tractat: nos eos tantum, qui nostræ institutioni conuenient, explicabimus: cæteros omittemus. Ducuntur igitur *à diffinitione nonnunquam argumenta, quum uocabulum, aut rem de qua loquimur, diffinimus, ut per eandem definitionem, quod uolumus, inferamus. id fit uel interrogando, uel affirmando.* Interrogãdo, *sic:* Nónne uirtus uiri propria est, & *à uiro appellata? uel sic: Quid est amicitia? nihil aliud est, quàm mutua beneuolentia. Affirmando sic: Quod si amicitia nihil aliud est, quàm mutua beneuolentia, nos mutuò amemus necesse est, si amici uolumus appellari.* Ducuntur argumenta *à genere, specie, differentibus, proprijs: sed quoniam hæc in epistolam, uel aliud scripti genus uel nunquam, uel rarißimè, & disputandi tantũ gratia ueniũt, omitto. Quòd si quis ea, de quib. disputaturus est, sciet: hæc quoque, sine quibus sciri illa non possunt, teneat necesse est.* Ducuntur etiam à *diuisione argumenta, quum totum in suas partes diuidimus, uel genus in suas species distribuimus. Quæ à Quintiliano partitio nominatur.* Hinc *multis modis argumenta ducuntur, quum omnia*

diuisionis

diuisionis membra à nobis ad eandem conclusionem deducuntur, hoc modo: Quũ uirtus uiros bonos efficiat, si ametur, ab alijs expetẽda est, ut alijs placere poßimus: si non ametur, expetenda est, ut nobis ipsis placeamus. Item diuisione utimur, quum duabus, aut pluribus propositis partibus, quamcunq; nobis concedat aduersarius, uicimus, hoc modo: Quum antehac ad me non scripseris, aut superbiæ, aut negligentiæ te accusem necesse est. tu uide, utra te minus deceat. Item quũ omnia diuisionis membra confutamus, ut ad id quod uolumus, deueniamus, hoc modo: Falsò te excusas, quòd ad me sæpe scripseris. nam si scripsisses, aut tabellarijs, aut amicis, aut peregrinis uiatoribus literas dedisses: tabellarij se nullas accepisse dicunt, amici istinc nulli huc ueniunt, peregrini istac iter facere non possunt. Quod si his omnibus nullas dedisti, nullas profectò dedisti. Item quũ pluribus enumeratis partibus, cæterisq; confutatis, extremam relinqui ueram necesse est, hoc modo: Aut noluisti ad me scribere, aut per multas occupationes, uel ægritudinem non potuisti, aut copiã tabellariorum non habuisti, aut certè negligens fuisti. noluisse te, quum me magnopere ames, non puto: occupationes habes aut nullas, aut paucißimas. ægritudine nulla laborasti: nam omnes, qui istinc profecti sunt, te ualentem uiderunt:

derunt: Tabellarij quotidie ultro citroq; cōmeant. Quod si harum causarum nullam afferre potes, negligens fueris necesse est. Atq; hæc à Quintiliano remotio appellatur. Quum autem rerum omnium ratio ab initijs per incrementa ad summam, siue finem procedat, probantur ultima ab initijs, uel incrementis, hoc modo: Quū adolescentiam tuam continentem & studiosam uideam, nō possum de reliqua ætate nō optimè sperare. Probantur contrà ab ultimis prima, hoc modo: Quū tu omnes gratis doceas, ostendis te nō lucri causa literas didicisse. Probātur res à similibus: ut, Si Homerus legendus est, Virgiliū quoq; legi par erit. A' dissimilibus: ut, Si cicero imitandus est, nō Plautum, aut Næuium imitari conuenit. A' cōtrarijs: ut, Si uirtus præmium meretur, uitiū certè supplicium merebitur. A' repugnātibus: ut, Si amicus est, amicum odisse non potest. A' consequentibus tum natura, tum tempore. natura: ut, Si fides uirtus est, nemo est profectò fallendus. à tempore sic: Si caloris initium æstas attulit, eius hyems finē afferat necesse est. Quæ agi & conuerti possunt, hoc modo: Si nemo est fallendus, fidem uirtutem esse par est: item, Si finē caloris hyems attulit, eius initium æstas afferet. Quædam ex rebus mutuā confirmationem præstantibus, siue (ut Cicero appellat) sub eandem rationem uenientibus argumenta

ta naſcuntur:ut, Si licet poeticem diſcere, docere cur non liceat? diſcere enim quiſquam, niſi doceatur, non poteſt. Eodem modo uendere, & emere, locare, & conducere, & cætera quæ ſe mutuò conſequuntur. Similia his ſunt, quæ à cauſis appellat Quintilianus, quum ea quæ facta ſunt, ab his quibus efficiuntur, cauſis probantur: uel contrà, quum efficientes cauſæ ex rebus effectis oſtendun tur. Quæ quidem aliquando ex utraq; parte neceſſaria ſunt: aliquando ex altera tantum: aliquando uerò ex neutra. Ex utraq; ſic, Si ſol exortus eſt, dies eſt: item, Si dies eſt, ſol utiq; exortus eſt. Ex altera ſic, Fuit apud ignē, ergo eſt calidus. hæc pars neceſſaria eſt: ſed nō, Calidus eſt, fuit igitur apud ignem. potuit enim uel ſole, uel alia cauſa fieri calidus. Ex neutra parte neceſſaria ſic, Exercuit corpus, ergo robuſtus eſt: uel cōtrà, Robuſtus eſt, ergo corpus exercuit. horum neutrum neceſſarium eſt. non enim quiſquis corpus exercuit, robuſtus eſt: neq; quiſquis robuſtus eſt, corpus exercuit. poteſt enim & ille exercitatione robuſtus non fieri, & hic robuſtus ſine exercitatione eſſe. Quo loco illud uidendum eſt, ne cauſæ nimis remotæ, et ex alto repetitæ afferantur: quod poetæ nōnunquam faciunt. ut, Vtinam ne nemore Pelio ſecuribus cæſæ cecidiſſent abiegnæ ad terram trabes. rem deinde ſequitur: Nam nunquam

hera mea errans mea domo efferret pedē Medea animo ægra, amore ſæuo ſaucia. Optimè autē (ut mihi uidetur) probatur res ex cōparatione, quū maiora minoribus, minora maioribus, paria paribus comparantur. Quibus quidē argumentis non epiſtolæ tantū, & ſcripta omnia, ſed ſermo etiam cōmunis refertus eſt. Probantur autē maiora à minoribus ſic: Qui alienos atq; ignotos iuuas, tuos tibi cōiunctiſsimos nō iuuabis? item, qui mouetur meretricis morte ob paruā conſuetudinē, quid mihi faciet patri? Minora ex maioribus ſic: Si patris mortem moderatè tuliſti, quo tandē animo ferendam amici mortem putas? Item: Si totius reipub. interitum ferre potuiſti, in unius mulierculæ animula quid tantopere commoueris? Qui locus pulcherrimus eſt apud Seruium Sulpitium in conſolatione Ciceronis. Paria ex paribus ſic: Quæ pœna interfectori patris cōſtituta eſt, eadem matris interfectori conſtituta eſſe debet. Item: Si magna præmia muſicis debentur, poetis cur nō eadē debeantur? Atq; hæ comparationes ampliſsimam in omni genere argumentandi materiam præbent: quas quia natura unicuiq; facile ſubminiſtrat, plurib. eas uerbis nō explicabo. Ducuntur poſtremò etiam à fictione (ut Quintilianus appella) argumenta, quū fingimus, id eſt proponimus aliqd, quod ſi re ipſa uerū eſſet, cauſam noſtrā uehementer

ter adiuuaret. ut, Si arbores et saxa uocē haberēt, tā indignū facinus detestarentur. Quē quidē ego locum non magnifacerē, nisi eo sæpissimè Cicero uteretur, neq; in orationibus modò, uerùm etiā in epistolis, ut ad Appiū Pulchrū: Si tibi respub. narrare posset, quomodo se haberet, nō melius quàm ex ipso Phannia intelligeres. Cuius quidem loci, quoniam totidē possunt esse species fictæ, quot ueræ, ideò feci eius cū Adiunctis negotio mētionem.

De his quæ negotium consequuntur. Cap. XXIIII.

Restant ea quæ gestū negotiū cōsequuntur: quæ pars ex his, quæ negotio attributa sunt, quarta est, et à Cicerone Cōsecutio appellatur. in hac primum cōsiderandū est id quod factū est, quo nomine appellari conueniat. ut quū amicū per epistolā excusabimus, qui alium dicatur offendiße, ostendamus nō illā esse offensam alterius, sed sui defensionē appellandā. Vt Cicero fecit ad Metellū, quū inquit: Ego nō fratrem tuum oppugnaui, sed fratri tuo repugnaui. Deinde eius facti qui fuerint autores, qui cōprobatores, qui imitatores, qui cōtrà id oderint, fugiāt, detestentur: ut quū dicimus, facultatē dicendi à sapientißimis atq; antiquißimis rerumpub. conditorib. fuisse inuentā, à summis postea uiris cōprobatā, ab optimo quoq; semper expetitam: quam non nisi ignari & flagitiosi detestentur.

stentur. Videndum postea, quid de ea re sit lege cautum, quid iudicatum, quid consuetudine frequentatum, quid arte aut scientia præceptũ: item uulgo'ne et frequenter ea res fiat, an insolenter et raro. Postremò, quæ rem honestas, utilitas, laus, gloria, consequatur: quæ omnia facile possumus in proximo exemplo considerare. Sunt autẽ pleraq; à Seruio Sulpitio in Ciceronis consolatione tractata. ut quum ait, tot oppida, tot claros uiros interijsse, & quotidie interire: item, fortunatos esse, qui liberos uel nõ genuerint eo tempore, uel amiserint: postremò, quum ostendit, quæ ignominia Ciceronem ex eo luctu, quæ hominum opinio, quod deniq; periculum consequatur. Atque hæc de locis, à quibus argumenta ducuntur, breuiter dixisse sufficiat. Si quis plura desiderabit, à Cicerone & Quintiliano accipiat. Nos ea tantum prosequimur, quæ ad scribendi rationem necessaria esse arbitramur: nunc quomodo argumentis uti conueniat, paucis absoluemus.

De usu argumentorum. Cap. XXV.

Omnis igitur argumentatio, quæ ex his locis nascitur, quæq; ab oratore sumitur, aut ita necessaria est, ut probandum sit: aut ita probabilis, ut nulla ei necessitas adiungatur. Nam quæ tantum necessaria est, & assensione nõ indiget, ea mathematica-

maticarum est disciplinarũ propria. Necessaria igitur, quæ assensionẽ hominum habet adiunctã, tractatur aut per complexionem, aut per enumerationẽ, aut per simplicẽ conclusionem. Complexio est, quæ ex duabus partibus propositis utrãq; uel interrogando, uel negando concludit. Interrogando sic: Si uirtus bona est, cur fugis? si mala, cur laudas? Negando: Si uirtus bona est, nõ est fugienda: si mala, non est laudanda. Enumeratio est, quæ multis propositis partibus, cæterisq; refutatis, extremã necessariò probatam relinquit, hoc modo: Hũc librum necesse est uel emptione, uel commodato, uel dono, uel hæreditate, uel furto habueris: nam antehac non habuisse te illum, planè fateris. sed neq; emisti: quia pecuniam nullã habebas. neq; ab amicis aut commodato, aut dono accepisti: quoniam nemo in hac ciuitate te nouit omnino. neq; rursus aut testamento, aut hæreditate cuiusquam habuisti: quũ ex tuis defunctus sit nemo. relinquitur ergo, ut illum ex furto habeas. Simplex cõclusio fit hoc modo: Si quo tempore tu ad me Romam scripsisti, ego Romæ nõ fui, accipere tuas literas profectò nõ potui. Ea uerò argumentatio, quæ solam assensionem requirit, frequentiusq; in epistolã uenit, per simplicẽ aßumptionẽ, et cõclusionem, quod enthymema appellari diximus. item per inductionẽ, atq; exemplũ frequen-

tißimè tractatur. Nam ratiocinatio, nisi necessitatem habeat, facillimè refellitur. Omnis aũt assensio, uel à naturæ ordine, uel ab hominũ opinione, uel à rerũ cõparatione colligitur. Naturæ ordo & sensus omnes, & iura naturæ comprehendit. Nam quæ sensu aliquo percipimus, his facillimè assentimur: ut quæ uidemus, audimus, tangimus. Item quæ naturæ consentanea sunt: ut, Pater est, liberos igitur amat: & quæ sunt generis eiusdem. Quæ opinione hominũ cõstant, ea partim legib. probantur: ut, qui hominẽ occiderit, morti subiacere. Partim sententijs hominũ: ut, quæ princeps aut senatus decreuit, ea seruanda esse. Partim consuetudine: ut, maioribus natu assurgendum. Partim cõmuni quodã hominũ cõsensu: ut bonis præmia, malis pœnas post mortem esse præparatas. Quæ aũt ex cõparatione probantur, ea uel cõtrariam rationẽ exigũt, uel similẽ, uel maiorẽ, uel minorẽ. Quarũ partium omniũ exẽpla superius posuimus. Hoc autẽ uniuersum, quod probabile appellamus, Cicero in plures species subtilius diuidit: quas, quoniã ad hãc institutionẽ nõ pertinent, prætermisi. Quis aũt ordo in argumẽtis collocandis seruandus sit, præcipi satis certè nõ potest. Nõ enim uel in omnibus orationibus, uel epistolis, uel scriptis unus idemq; semper est seruandus. Aliæ enim causæ leuißima queq; argumenta in princi

pio

pio maximè desiderant:ut consolationes, quæ sensim irrepere,nō statim irrumpere per uim in hominū mentē debent. Aliæ à firmißimis argumētis incipiēdæ sunt:ut crimina, quæ minimè uidemur posse defendere.Illud tamē perpetuò tenendū est, ut optimis in fine argumentis utamur. Nam & quæ firmißima sunt,ad faciendam fidem plurimū cōferunt:et quæ ultimo loco sunt dicta, memoriæ audientium magis inhærent.Leuiora uerò in medio commodißimè collocantur.Nam et antecedentibus, & cōsequentibus uim non mediocrē addūt: et ipsa,firmioribus utrinq; munita,ualidiora,grauioraq; reddūtur. Illud in omni argumentatione seruandum in primis,tenendumq; est,ut uarietati inseruiamus:ut neq; hisdem argumentorū modis semper utamur:quale est,si semper inductione,aut ratiocinatione uteremur. Neq; eadem argumenta eodem semper modo conficiamus:quale est,Si mater est, filios diligit: mater autem est, filios igitur diligit. Sed nunc à conclusione incipiamus,hoc modo:Diligit sine dubio liberos,quia mater est. nam diligi à matribus liberos, naturæ cōsentaneū est. Nunc ab assumptione, hoc pacto: Quia mater est,diligere eam liberos credibile est: quod omnibus matribus est naturale,ac propriū. Ita deniq; tum argumentorū formas,tum modos, contextusq; uariemus, ut ipsa uarietas homines

ad nostra legenda, audiendaq́; alliciat. Neq; in omnibus causis, siue negotijs, omnes quos suprà me morauimus, locos aut quæremus, aut assumemus: sed eos potißimum deligemus, qui & optimi, & maximè neceßarij ad nostram causam esse uidebuntur. Ac de confirmatione quidem satis diximus. nunc de confutatione disseramus.

De confutatione. Cap. XXVI.

Confutatio est alienorum argumentorum, dictorum'ue destructio. Ea duplex est: generalis, in qua tota uersetur oratio necesse est: quæ aduocatorum, siue patronorum, et eorum qui causas defendunt, propria est. Et specialis, siue particularis, quæ ad singulas orationis, uel sermonis partes pertinet: quæ propria est epistolarũ. Vtraq; tamen ab eisdem locis oritur, quibus oritur confirmatio, sed ex contraria ratione. Nam quibus locis illa ad confirmandum, ijsdem hæc ad infirmandum utitur. Sed quantum differt ab oratione epistola, tantum prioris confutationis ratio à posteriore differt. Illa enim aduersarium habet, hæc nõ habet: illa in criminibus tota uersatur, hæc in causis plerunq; honestißimis: illa ea tantum quæ dicta sunt confutat: hæc etiam quæ dici possent inuestigat: illa obiectis plerunq; ex tempore respondet, hæc ad respondendum satis otij habet: illa deniq; futurum iudiciũ pertimescit, de hac nullum

futurum

futurum iudicium est. proptereaq; defendendi, quàm accusandi rationē ueteres difficiliorem putabant, quòd accusandi ratio simplex esset, defendendi multiplex. Nos itaq; omissa illa patronorum confutatione, de qua satis abundeq; à Cicerone & Quintiliano tractatum est, de hac quæ ad nostram institutionē magis pertinet, breuiter disseramus. Hæc igitur in deliberatiuis causis, hoc est in suadendo & dissuadendo tota ferè posita est. neq; quid dictum sit, tantum considerat: sed multo magis, quid dici poßit, explorat. Quid autem dici poßit, per eosdem, quos suprà diximus, locos personarum inquirit. Personarum quidem, ut si te cohorter ad studia literarū, ostendamq; te neq; ætatem, neq; ingeniū, neq; aliud quicquam, quod in personis consideretur, quo minus id facias, excusare posse. Rerum uerò, si neq; tempus, neq; locum, neq; facultates ad eam rem tibi deesse significem. Confutandi uerò duplex omnino ratio est, bonorum & malorum. Vtraq; & uera & falsa esse possunt. Bonorum ratio ita tractanda erit, primùm ut ostendamus, quæ ei ad quem scribimus, bona uidentur, mala esse: id si non possumus, non esse bona, aut non magna bona esse contendamus. deinde maiora, si poßumus, aut similia proponamus, aliquodq; his commodum adiungamus: ut si par bonū ex utraq; re consequatur, hoc

certè

epistolas interpretari, quàm tradere scribēdi rationē uidear. Accidunt aūt epistolis nonnunquā etiā crimina, siue calumniæ, uel ad nos, uel ad amicos pertinētes, quæ à nobis per epistolā uel defendendæ, uel refellendæ sint. Crimen defendere qui uolet, si factū sit, cur id fecerit, ostēdat necesse est. Si causam probabilē nō habebit, crimē neget: si negare totū non poterit, partē neget: & aut nō esse id factū, cuius arguat: aut nō eo modo factum esse contendat. Sin id quoq; nō poterit, culpā omnē in ætatē, in ignorantiā, in negligentiā, in occupationes, in socios, in alia deniq; omnia transferat, quæ aut leuare factū, aut ueniā impetrare aliquo modo possunt: quæ in epistola decet, in oratione non decet. Alia præterea crimina leuiora, alia minora molliendo, excusando, minuendo facimus: quædā uerò despicimus, ac pro nihilo habemus: quædam per iocū & cauillationes irridemus: nonnulla in illum ipsum qui obiecit, retorquemus: quod lepidissime fecit Cicero, quū ad Curionē scribens ait: Equidem neminē prætermisi, quem ad te peruēturū putarē, cui literas non dederim: abs te uerò bis, ter'ue ad summū, & eas perbreues, accepi. Quod si pergis iniquus esse in me iudex, eodē ego te crimine cōdemnabo. Ambigua uerò omnia in meliorem partē accipiuntur, ita ut quæ ei ad quē scribimus uel grauia, uel luctuosa, uel dura uidentur, ea

nos

nos grauiorũ comparatione, quæ ille aut tulerit, aut nisi hoc ei accidiſſet, in poſterũ potuiſſet ferre, leuiora, tolerabilioraq; reddamus: quod optimè fecit Sulpitius, qui ut Ciceronem de morte filiæ cõſolaretur, ei patriæ, dignitatis, honeſtatis, cæterarumq; rerum, quæ multo ei debebant eſſe, quàm liberi, cariores, iacturã cõmemorat. Sed hæc omnia facile conſequemur, ſi quã ſuprà memoraui, bonorũ, malorũq; comparationũ rectè adhibebimus.

De diſſolutione argumentorum. Cap. XXVII.

Quoniam autẽ qua ratione fierent argumenta, ſuprà docuimus, conſentaneũ uidetur, quà ratione diſſoluantur, etiam docere: ut quæ uitia in illis eſſe poſſunt, ea & ipſi in noſtris argumentis magnopere fugiamus, & in alienis cognita reprendere facilius, & confutare poßimus. Qui quidem locus tametſi eſt ita latè à Cicerone, dilucideq; tractatus, ut à nobis neq; copioſior, neq; dilucidior effici poßit: eum tamen, ne uel ignoraſſe, uel neglexiſſe uideamur, quàm breuißimè attingemus. Omnis igitur argumentatio diſſoluitur, quum aut aliqua pars ipſius, aut tota uitioſa eſſe oſtenditur: aut contra eam alia uel firmior, uel æquè firma argumentatio collocatur. Partes eius uel ut minimè probabiles, uel ut minimè neceſſariæ reprehenduntur. Minimè probabilis argumentatio

gumētatio fit, quū uel falsa proponimus. ut, Nemo est qui non pecuniam quàm sapientiam malit. constat enim, multos contrà fecisse. uel incredibilia: ut, si auarus pecuniam se contempsisse dicat. Item minus probabilis fit, quum id quod à plerisq; fit, ab omnibus fieri dicimus: ut, Omnes opibus quàm uirtutibus magis studen . uel contrà, quum id quod à paucis fit, à nemine fieri affirmamus: ut, Nemo est qui uirtutis adipiscendæ gratia opes honoresq; cōtemnat. quod etsi non omnes, quidam tamen faciunt. Minus etiā probabilis argumentatio redditur, quū id quod proposuimus, uana aut infirma ratione probamus. Vana ratio est, quæ uel falsa est: ut, Poetæ legendi non sunt, quia homines à religione dehortantur. uel futilis & contemnenda: ut, Philosophia fugienda est, quia macilentos homines reddit. Infirma uerò ratio est, quæ causam minus conuenientem propositioni subijcit: ut, Vtile ieiunium est, nam ego hodie ieiunare institui. hic quare utile ieiunium sit, non probo: sed quid ego sim facturus, commemoro. Item infirma est, quum idem per idem, sed alijs uerbis probamus: ut, Magnū malum est auaricia, quia multis incommodis afficit homines pecuniæ cupiditas. Item infirma est, quum id quod proposuimus, omni ex parte non probamus: ut, Expetenda est sapientia, quia sapientes castitatē

amant. non enim ob hoc solum expetenda sapientia est. Minus præterea probabilis argumentatio redditur, quum similitudines & comparationes ad rem de qua agimus, minimè accommodatas esse ostendimus. Id autem fit, quum ostendimus eas differre genere, specie, ui, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione. Deinde utriusq; rei genus & differentiã demonstramus: quo modo confutantur maximè inductiones & exempla, quæ similibus & comparationibus maximè utuntur. Minus etiam necessaria, & propterea uitiosa argumentatio esse ostenditur, cuius complexio, uel simplex conclusio reprehendi potest. Complexio erat, quæ ex utraq; parte concludebat. ea uel ex utraq; parte conuertitur, uel ex altera reprehenditur. Conuertitur ex utraq;, quale est pulcherrimum apud Gellium exemplum Euathli, qui certa mercede causarum agendarum rationẽ à Protagora insigni eius artis magistro hac conditione didicerat, ut ei merces tum deberetur, quum primã in foro causam uicisset. Magister suo tempore mercedem petit, & negantem discipulum in ius uocat. Vtitur autem aduersus eum argumento: Debes mihi omnino mercedem, siue uincas causam, siue perdas. nam si uincis, debes, quia uicisti primam causam: si perdis, debes, quia à iudicibus cõdemnaris. Discipulus contrà argumen-
tum

tum cōuertit, hoc modo: Nihil tibi debeo, siue uincam, siue perdam. nam si uinco, non debeo, quia à iudicibus non condemnor: si perdo, rursus non debeo, quia primam causam, ut inter nos conuenerat, non uinco. Altera ex parte reprehenditur complexio, sic: Etiamsi causam perdam, nihil debeo tibi. iudices enim me nō pecuniæ, sed ignorantiæ condemnabunt. Enumeratio autē reprehenditur, quum aliquod in ea membrum præteritum est, hoc modo: Quoniam habes hunc equum: cum aut emptione, aut hæreditate, aut dono habeas, aut certè furto abstuleris, necesse est. si dicamus domi natum, aut ex hostibus captum, totum argumentum infirmabimus. Reprehenditur etiam, quum aliquid ex membris negatis probamus: ut in eodem exemplo poterit ostendi, equum hæreditate uenisse, quod ille negauerat. Similis conclusio reprehenditur, quum aliud sequi potest ex nostra propositione, quàm quod ipsi uolumus: ut, Si lux est, dies est. potest enim ex luna, uel ex igne lux esse: neq; lux necessariò diem facit. Conclusiones uerò argumentorum omnium reprehendi possunt, si uel non efficiant id quod propositum est, uel cauillationē, ambiguitatemq; efficiant. non efficiunt quod propositum est, hoc modo: Si uenisses domum meam, uidissem te: non uidi, ergo non uenisti. conclusio hæc non necessa-

riò sequitur. nam potes uenisse clam me. Per ambiguitatem concludunt argumenta hoc modo, ut in eodem exemplo uersemur: Si uenisses domum, uidissem te: non uidi, ergo non uenisti: non autem uidi, non quia non ueneris, aut clam me ueneris, sed quia cæcus sim. in qua significatione tu meum argumentum non intelligebas. Per cauillationem sic: Quod nō perdidisti, habes: non perdidisti caudam, ergo caudam habes. Atq; his ferè modis argumentorū singulæ partes dissolui possunt. Totum uerò argumentum reprehenditur, quum aperte falsum est: ut, Quicunq; pecuniam contemnit, stultus est: Diogenes pecuniam contempsit: stultus igitur fuit. Aut quum tam nobis, quàm aduersarijs cōuenit: ut, Qua causa confidebam, breuis fui. Aut cùm leuem excusationē præferimus: ut, Si in mentem uenisset hoc, nunquam commisissem. Item quū remotas, & minus longinquas causas repetimus: ut, Si Iupiter rem cum Leda nō habuisset, Ilium nunquam euersum fuisset. Item quū rem quampiam uel malè definimus, uel malè diuidimus. Definitio mala est, quæ per proprium genus, & proprias differentias non fit. ut si uelim definire factiosum ciuē: Hic factiosus est, qui malus & inutilis ciuis est. quæ definitio non magis ad factiosum, quàm ad dissolutum pertinet. Item mala definitio est, quæ rem definiendam non omni ex

ni ex parte complectitur:ut, Fortitudo est constantia in aduersis. quæ definitio partē fortitudinis, non totā complectitur. Mala uerò diuisio est, quum plura uel pauciora quàm opus sit, membra facimus. plura sic: Tria hominem beatū reddunt: uirtus, scientia, & sapientia. In hac diuisione sapientiam adiungere necesse non erat. nam uirtus & scientia sapientiā complectuntur. Pauciora sic: Duo potißimū homines ad scelera compellunt, libido & auaricia. hic omissa sunt multa: ut, ambitio, gula, gloriæ cupiditas, & alia. Reprehenditur etiam argumentū, quod uel dubia, uel inconuenientia, dubijs & inconuenientibus probat. dubia: ut, Nō occidi hunc, quia neminem unquam occidi, quum utrunq; dubium sit. Inconuenientia: ut si quis suum scelus magnorum uirorum exemplo tueatur. Item quum rem perspicuam pluribus uerbis claram facimus: ut, si Orestem accusans, occisam ab eo matrem, quod perspicuum est, coner ostendere. Item quum rem, de qua causa & controuersia est, tanquam concessam assumimus: ut, si Vlyssem accusans, iniquum esse dicam, Aiacem fortißimum hominem ab ignauißimo esse occisum: quod adhuc non constat. Item quum rem turpem & iniquam, & indignā tempore, loco, personisq; commemoramus. Item quū rem auditoribus inuisam proferimus: ut si apud

cœlibes rem uxoriã laudẽ. Vel cùm rem ab auditoribus aut lectoribus factitatã detestamur: ut si apud Annibalem perfidiã, uel urbium expugnationem detester. Item quum eadem de re diuersè inconstanterq; loquimur: ut si quis amico tantum beneuolentiæ causa fauere se dicat, posteaquam subiungat, sperare tamen se aliquod ex ea re commodum consequuturum. Illa quoque argumenta uitiosa sunt, & facilè confutantur, quæ ad institutum omni ex parte accommodata nõ sunt: ut si plura polliciti, pauciora exequamur. Quod in uitium plerunq; incidunt hi, qui in sacris ædibus commorantur. è tribus enim partibus, quas in diuisione proponunt, tertiam plerunque linquunt. Item si quũ totum debeamus probare, partem tantum probemus: ut si quum omnes senes auaros probare uelim, unum aut alterum auarum fuisse ostendam. Item si omissa re, quæ in iudicium aut consultationem ueniet, alia præferamus, uel defendamus: ut si quis de bello gerendo dicturus, pacem laudet: aut si quis ambitus accusatus, se fortissimum manu semper fuisse defendat. Item si res ipsas ex uitijs uituperamus: ut si quis ex unius poetæ uitijs totam poeticen detestetur. Item si laudare quempiam instituerimus, & de felicitate eius, nõ de uirtute dicamus. Item si rem cum re ita comparauerimus, ut laudare alteram posse non

se non putemus, nisi alteram uituperauerimus: quod pleriq; hac tempestate faciunt, qui laudare se hunc pontificem posse non putant, nisi antecessores uituperent. Item si quum de certa re dicendum sit, de communi & toto genere dicamus: ut si iustitiam laudaturus, de ipso genere uirtutis dicam. His ferè de causis argumenta reprehendi solent: quas quidem latius fortasse explicaui, non solum quia uitiosam epistolam, sed quia omnia quoque scripta, atque adeò sermonem ipsum uitiosum reddunt. Neque uerò id tantum feci, ut in aliorum scriptis hæc uitia cognoscamus, sed multo magis, ut ipsi caueamus. Reliquum erat in confutatione, ut contra aduersarij argumentationem, aliam uel firmiorem, uel æquè firmam collocaremus: quod quidē tum ad deliberationes, tum ad consolationes est maximè necessarium. Id fit, si quum aliquid aduersarij utile dicent esse, nos id quod defendimus, esse honestum dicamus: aut quod illi quibusdam, nos omnibus uel multis utile, aut honestum, aut acceptum esse ostendamus. Deniq; id optimè fit illa, quam suprà docuimus, bonorum, malorumq; comparatione. Sed de confutatione satis. Nunc ad coclusionem transeamus.

De conclusione. Cap. XXVIII.

Conclusio est artificiosus terminus totius non orationis modò, sed cuiusuis etiā materiæ: quæ à

nobis uel dicta, uel scripta est: in qua auditoris uel lectoris animum ad id quod uolumus, summa ui trahere nitimur. eius alia in oratione, alia in epistola ratio est. Oratio enim unum aliquod sibi dicendum proponit, Epistola plerunque multa perscribit: illa auditorem, hæc lectorem habet. illa iudicium plerunq; expectat, hæc nunquam: illa certis tantum locis, id est quatuor, conclusione uti potest, in principio, secundum narrationem, secundum firmißimam argumentationem, in fine totius orationis: hæc multis & incertis locis, hoc est ubicunq; aliqua materia finitur, conclusione uti potest. Quapropter neq; ita longa, neque ita artificiosa conclusione utetur epistola, præsertim si pluribus de rebus scribatur, aut si negotia uel res leuiores contineat. Igitur si epistola unica de re, neq; ualde longa, neq; ualde graui scribatur, satis erit in conclusione, quod uelimus, exponere breui uel amplificatione, uel commiseratione adiecta: quibus de rebus paulo pòst dicemus. Si grauior erit, pro qualitate materiæ conclusionem adhibebimus. Aliã enim commendatio, aliã consolatio, aliã simplex narratio conclusionem habeat necesse est. Sin plura uel præcepta, uel negotia continebit epistola, & in singulis breui conclusione, & in fine omnium enumeratione aliqua erit utendum. Quod Cicero fa-

cit ad Lentulum in ea epistola, cuius initium est, Periucundæ mihi fuerunt literæ tuæ. ait enim: Accepisti quibus rebus adductus, quamq́; rem, causamq́; defenderim: quiq́; meus in repub. sit pro mea parte capessenda status. Illud in omni epistola seruandum erit, ut ad ea quæ diximus, conclusionem applicemus, & lectoris animum cùm in cæteris partibus, tũ in hac uel maximè nobis conciliemus. Quoniam autem & enumeratione, & amplificatione, & commiseratione utitur interdum epistola, his de rebus summatim quædam attingemus.

De enumeratione. Cap. XXIX.

Enumeratio est breuis earum rerum quæ dictæ sunt, repetitio, quæ à Græcis ἀνακεφαλαίωσις dicitur. ea ita utemur in epistola, ut rerum tantum capita breuiter repetamus, ne res singulas longius prosequamur, ut ad ea quæ legit, animus auditoris reducatur, non redintegretur oratio. Neque uerò uno modo semper enumeratione utendum est, sed uarianda tum ratio, tum oratio, ne uel afferat lectori satietatem, uel artificij suspicionem pariat: quo nihil magis fugiendũ est. Varietas autem comparabitur tum ex uerbis, tum ex sententijs, hoc modo: Scripsi ad te de hac & illa re: habes quæ scire cupiebas: hæc habui, quæ de his & illis rebus ad te scriberem: habes epistolam be-

nè longam. quæ quidem plurima legenti & cogitanti occurrent. Oratio *per introductã uel rem, uel personam, interdum enumeratione utitur: ut, Si respub. loqui posset, hæc et hæc diceret: aut, Si pater ipse iudicaret, quid diceret quum hæc probarentur? Sed his modis rarißimè, uel nunquam, epistola utitur.*

De amplificatione. Cap. XXX.

Amplificatio est oratio ex communibus locis sumpta ad rem augendam, uel exaggerandam. Loci communes sunt, qui ad omnes causas accommodari possunt. hi plurimi sunt. Nos *paucos, & ad institutionẽ nostram maximè necessarios proferemus.* Ex *his primus ac præcipuus est ab autoritate* Dei *in primis, & eorum quos* Sanctos *appellamus, deinde* Pontificum, *regum, & principum, ciuitatum, populorum, magistratuum, prætera sapientum, iurisconsultorum, legum, cæterarumq; tum personarum, tum rerum, quæ summam inter homines autoritatem habent: quum ostendimus, quid de re, de qua agimus, senserint, dixerint, fecerint, curauerint.* A*lius est locus, per quem ostendimus, ad quos ea res pertineat, utrũ ad omnes, an ad superiores, de quibus modò diximus: an ad pares amore, fortunis, corpore: an ad inferiores ætate, fortuna, cæterisq; rebus: rursus ad optimum quenq;, an ad quemuis: ad uiuos, an*

ad defunctos: ad parentes, an ad posteros. Alius est locus, per quem quid boni, aut mali ex ea re sit euenturum, ostendimus, si hoc nobis, uel alijs siue concedatur, siue negetur. nam in utramq; partem loci communes accipi possunt: quod miror esse à Cicerone, quum de his scriberet, prætermissum. Alius locus est, per quem multos hoc exemplo uel ab ea re territum, uel ad eam rem incitatum iri, siue illa bona, siue mala sit, demonstramus. Alius est, per quem ostendimus cætera uel malefacta corrigi, aut aboleri, uel benefacta in memoriam redire posse, si hoc rectè factum aut iudicatum fuerit: si contrà euenerit, malefacta superiora in memoriam reditura, anteacta bona omnia peritura. Quo loco, ut id quod uolumus efficiamus, aliarum rerum comparatione uti poterimus. Alius locus est, per quem ostendimus uoluntariæ rei, si mala sit, nullam satis dignam pœnam: si sit bona, nullam mercedem uel laudem satis dignam reperiri posse. Alius locus est, per quẽ ostendimus, eius generis id factum esse, ut eius causa uel paruæ res sæpe crescant, uel maximæ dilabantur: ex quo item maxima bella uel oriantur, uel extinguantur. Alius locus est, quo factum in alterutram partem uerbis exaggeramus, hominesq; ob id quàm ocyßimè uel puniendum, uel remunerandum adhortamur. Alius est, quum peccata

cata inter se, uel benefacta comparamus, ostendimusq; illud, de quo agimus, cætera superare. Alius locus est, per quem negotium breuiter ponimus ante oculos, ut geri uideatur: & quæ uel bona, uel mala consequi eam rem soleant, enumeramus, ut earum rerum enumeratione negotiũ ipsum augeatur. Alius est, per quem petimus ab hominibus, ut res nostras ad sese referant, & de se, ac de suis geri putent idq; de nobis, ac de nostris parentibus, liberis, uxoribus, ac de rebus omnibus statuant, quod de suis statui uelint. Alius est, per quem ostendimus hoc facinus etiam hostibus admirandum, uel detestandum uideri. Atq; ab his potissimũ locis communibus amplificatio sumi solet. Proprios causæ scriptor ipse iudicabit. Neq; uerò omnibus his semper est utendũ, sed ut quisq; ad nostram causam maximè faciet. Illud in primis uidendum est, ut hos locos, siue ad laudem, siue ad uituperationem, siue ad indignationem, siue ad consolationem, siue ad aliam rem quampiam aptè conuertamus, ne in conclusione tantum, sed in cæteris quoq; partibus, præsertimq; in argumentationibus, amplificationem accommodatè collocemus.

De miseratione. Cap. XXXI.

Miseratio, siue misericordia est, affectus animi, per quem alienos casus dolemus, & ad præstandum

dum illis, quod petunt, inclinamur. Eam in alijs commouebimus, si ostendemus uariam fortunarum commutationem, & bona, in quibus fuimus, cum malis quæ patimur, & passuri sumus, comparabimus: si commoda quæ sperabamus, & incommoda quæ nos consequuntur, proferremus: ut in morte filij, propagatio sobolis, spes honorum, solatium senectutis: contrà domus euersio, desperatio, orbitas. Item si turpia atq; indigna genere, ætate, dignitate nostra, ad quæ deuenerimus, uel deuenturi sumus, proferremus. Si calamitates nostras singulas ante oculos ponemus, ut non audire eas, aut legere homines, sed uidere uideantur. Si rogabimus, de se, ac de suis coniecturam faciãt, cogitentq; posse eadem omnibus accidere, quæ nobis acciderint: & quum nos uidẽt, parentum, liberorumq; suorum, sui deniq; ipsorum recordentur. Item si orationem uel ad absentes, uel ad mortuos, uel ad res sensu carẽtes, nobisq; charißimas, ut patriam, domum, & cætera eius generis, conuertemus. Item si disiunctionem à rebus nobis charißimis, si patriæ, parentum, cæterorumq; nobis coniunctißimorum amißionem, si orbitatem, solitudinem, si corporis et fortunæ incommoda proferemus. Item si conqueremur nos ab alijs potißimum contumelia & iniuria affici, qui uel nos amare & iuuare maximè debeant, ut propinqui:

uel sint de nobis optimè meriti, ut amici, clientes. uel indigni sint, qui nos offendant, opprimant, subijciant: ut serui, rustici, plebeij, atq; obscuri homines, in primisq; uitiosi. Item si supplicibus & lachrymosis uerbis orabimus, ut nos respiciant, nostræ neceßitati ignoscant, subueniant, nostri misereantur: si dicemus nos non nostra, sed parentum, aut liberorum, aut aliorum qui ex nobis pendeant, causa moueri. Postremò, si ostendemus animũ cùm in alios misericordem, tum uerò constantem, & malorum omnium patientem, atque ad omnia paratum habere, semperq; habituros: & quicquid euenerit, forti atq; excelso animo toleraturos. nam fortitudo & constantia in uiro, præsertim graui, plus interdum ad misericordiam proficit, quàm humilitas & supplicatio. Atq; his potißimum locis misericordia commouetur. Verùm, ut in amplificatione diximus, nõ sunt omnes in omnibus causis aut quærendi, aut collocandi: sed est ex his optimus quisq;, & ad nostrã causam accommodatißimus quisq; deligendus. Cõmiserationem enim breuem esse oportet. nam, ut ex rhetoris Apollonij sententia scribit Cicero, lachryma nihil citius arescit. Sed quoniã satis multa de his quæ polliciti sumus, explicauimus, huic libro modum imponemus.

Lippi

LIPPI BRANDOLINI AD Reuerendiſs. patrem, & dominum, D. Franciſcum Picolomineum Cardinalem Senenſem, de Ratione ſcribendi, Liber ſecundus. Caput I.

IN libro ſuperiore, ſapientißime pater, quæ eſſet epiſtolarum inuentio, quot & quæ earum genera, primùm expoſuimus. Deinde, *quoniam ſunt tria cauſarum genera, demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale, quas cauſas recipere poſſet epiſtola, demonſtrauimus.* Tum *de ſex partibus orationis, exordio, narratione, diuiſione, confirmatione, confutatione, concluſione, ut uiſum eſt, breuiter diſſeruimus, easq; partes ad ſcribendi rationem accommodauimus.* Nunc, *quoniam è tribus illis cauſarum generibus unumquodq; epiſtolam recipere poſſe ſuprà diximus, conſentaneum eſſe uidetur, ut de ſingulis aliquid breuiter attingamus: & qua ratione unumquodq; in epiſtola tractari conueniat, aperiamus. deinde ad ipſas epiſtolarum ſpecies deſcendemus. & quo ſingulæ pacto tractandæ ſint, quantum poterimus, duobus his libris aperiemus. Poſtremò de diſpoſitione atq; elocutione, quæ maximè neceſſaria uidebuntur, in tertio libro paucis explicabimus, ut*

hæc,

hæc, quam suscepimus de scribendi ratione institutio, quoad fieri potest, perfecta absolutaq; sit. Nunc igitur ad causarum genera reuertamur. Ea quoniam tria esse suprà diximus: iudiciale, quod & difficillimum est, & minimè nostris temporibus usitatum, primùm absoluemus: neque uero id totum superstitiosius exequemur. Nam & longissimum est, & in usum scribendi non ita frequenter uenit. Sed eas tantum illius partes, quæ ad scribendum accommodari posse uidebuntur, explicabicabimus, reliquas summatim pertransibimus.

De constitutionum generibus. Cap. II.

In omni causa primum omnium constitutio inuenienda est, ut quo peracto causa ipsa tractanda sit, facilius cognoscamus. Ea, ne in omnibus decipiamur, ab alijs status causæ, ab alijs quæstio, ab alijs caput, græce uerò στάσις est appellata. Est autem constitutio, prima deprecatio defensoris, cum accusatoris insimulatione coniuncta: uel, ut Quintiliano placet, prima causarum conflictio. Est enim cõstitutio, siue status, ubi primùm propter accusatoris & rei discordiam causa constitit: ut, Fecisti, non feci. hic causa consistit, an fecerit. uel, Fecisti, feci, sed rectè feci. hic causa stat, an rectè fecerit. Quanquam autem propria est iudicialis

generis constitutio, potest tamen in alia etiam genera cadere: in demonstratiuum, ut quum quærimus, an is quem laudamus, eo tempore, uel eo loco, uel apud illos laudandus sit: item, an eius magnitudo nostris laudibus poßit augeri: item quũ quærimus, quanta eius uirtutibus præmia: uel in uituperatione, quantæ eius uitijs pœnæ debeantur. atq; in his rebus omnis nostra uersatur oratio. In quo genere Cicero scribit Cæsarem in Catonem omnibus constitutionibus esse usum. In deliberatiuum genus cadit constitutio, quum disceptamus, an honestum, an utile futurũ sit id quod in consultationem uenit. item quum disputamus, an fieri poßit, de quo quæritur: ut, an euerti posset Carthago, etiamsi eius euersio è repub. futura sit. Iudicialis generis exempla sunt paßim: ut quũ Vlysses accusatus, quòd Aiacem interfecerit: aut quum Orestes accusatus, quòd matrem occiderit, iurè id se fecisse defendit. Constitutio est in priore exemplo, utrũ fecerit. Hoc inferius genus quanquam rarius, nonnunquam tamen etiam in epistolam uenit: ut cùm apud amicũ, uel apud principem negligentia, uel ea quæ obijciuntur crimina, per epistolam excusamus. Item quum aliquod nostrum factum, uel innocentiam nostram defendimus. quo in genere pulcherrimæ Ciceronis & ad Appium Pulchrum, & ad Q. Metellum, &

ad alios quàm plurimos epistolæ reperiuntur. In omni autem causa constitutio inuenitur, quũ con siderantus id de quo quæritur, an sit, quid sit, qua le sit. hic ex tribus temporib. considerari potest, præsenti, præterito, futuro: ut an sit factum, an fi at, an futurum sit: & eodem modo in cæteris, cum quærimus an sit, coniectura est: quum quærimus quid sit, definitio: cũ quærimus quale sit, qualitas appellatur. Quoniã autem quum factum defendi mus, aut legibus aut rationibus defendimus: qualitas legalem, siue legitimum, & iuridicialem sta tum efficit. Possunt igitur esse quatuor omnino status, siue constitutiones: Coniecturalis, qua quæ ritur an sit: definitiua, qua dubitatur quid sit: lega lis, siue legitima, qua factum legibus scriptisúe de fenditur: iuridicialis, qua factum rationibus com probatur. atq; hæc sunt constitutionum genera. Nunc quo singulæ modo ad iudicialem causam, quam primam explicandam proposuimus, accommodari debeant, summatim dicemus, à coniecturali potißimum incipientes.

De coniecturali constitutione, Cap. III.

Coniecturalis constitutio est, in qua utrum ali quid factum sit, quia non constat, signis & coniecturis inuestigatur. Ea quum in causam incide-

rit, is

rit, is qui locum accusatoris obtinebit, narrationem ita suspicionibus sparget, ut omnia rei facta, dicta, consilia, in eius de quo agitur, criminis suspicionem trahat. Qui defensoris loco utetur, planè simpliciterq; narrabit, suspicionesq; omnes, quantum poterit, remouebit. habet hæc constitutio partes sex: probabile, collationem, signa, argumenta, consecutionem, approbationem. Probabile est, per quod ostendimus expedisse reo peccare. Id consideratur in re & persona, siue in causa & uita. In causa accusator considerabit, quæ commoda inde reus consequi, quæq; incommoda euitare potuerit: eaq; omnia reum secutum esse ostendet. Reus contrà, se nihil commodi adipisci, nihil incommodi ex ea re uitare potuisse demonstrabit: imò aut incommodum, aut dolorem se ex eo facto cœpisse ostendet. In uita accusator anteactam rei uitam in crimen aut suspicionem aduocabit, ut id de quo quæritur, cæterorum criminum exemplo probetur. Id si non poterit, dicet reum cætera uitia dißimulasse atque occultasse, hoc celare præ turpitudine non potuisse. Reus uel anteactæ uitæ probitatem atq; innocentiã afferet: uel si id non poterit, quæ olim fecerit, ætati, imprudentiæ, ignorantiæq; asscribet: id uerò genus flagitij se magnopere semper euitasse ostendet. Collatio est, in qua accusator per compara-

tionem ostendet, alium neminem id facere potuisse: huic & commodum, & facile, & necesse pene fuisse. Reus & has ab se suspiciones omnes, quantum poterit, remouebit: & alios ijsdem de causis id facere potuisse, ostendet. Signũ est, quòd facultatem rei perficiendæ quæsitã ostendit. In eo considerabitur, locus celebris, an desertus: publicus, an priuatus: commodus, an incõmodus. item tempus, ut quæ pars anni, diei, noctis. spacium, utrum satis magnum ad rem perficiendã fuerit. occasio siue opportunitas, quæ fuerit expectata, exquisita, aut omissa: item quæ spes perficiendi, quæ celandi criminis fuerit. quæ quidem omnia accusator augebit, reus minuet atq; attenuabit. Argumentum est, quod certiora signa rei faciendæ uel factæ ostendit: faciendæ, ut quum ante tempus apparatus, instrumenta, et res ad id necessariæ proferuntur: quum reus fecisse, dixisse aliquid ad rem perficiendam per se, uel per alios demiratur. Factæ rei argumenta sunt, quum ipso facinoris tempore, uel paulo pòst ubi reus, aut cum quibus fuerit, aut quo habitu, uultu, gestu fuerit, explicatur. Quæ quidem pro causæ qualitate, tum ab accusatore, tum ab reo uel obijcientur, uel refellentur. Consecutio est, quum quæritur quæ signa nocentis & innocentis rem ipsam consequi soleant. In ea accusator rei fugam, latitationẽ, timorem, & his

& his similia proferet. Reus innocentiam suã ex præsentia, conscientia, rebusq; contrarijs comprobat. Approbatio est, qua suspicionem iniectã locis tum proprijs, tum communibus uel confirmamus, uel infirmamus. Loci proprij sunt, quos secum causa quæq; adducit, de quibus priuatim præcipi nihil potest. Communes sunt, à testibus: ut cum rem nostram iuratis testibus comprobamus, de eorumq; fide, autoritate, constantia, uita, plura dicimus. Contra testes, cum eos ab his omnibus partibus confutamus: eosq; uel scire id non posse, uel cupidè id dicere, uel corruptos, uel parum idoneos esse demonstramus: suspicionesq; ad eam idoneas ex supradicta diuisione afferimus. Contra quæstiones locus est, cùm labefactari atq; infringi tormentis ingenuorum corpora, ex leui suspicione, iniquum atq; impium esse dicimus: dolori alium alio magis minusùe resistere demonstramus, multos dolore uictos fateri quæ nunquã commiserint, suspicionẽ parum idoneam ad tormenta. Ab argumentis, signis, & coniecturis locus communis est, quum dicimus rem tot signis atq; argumentis patefactam, perspicuam, non suspiciosam uideri debere: hæc plus quàm ullos testes ualere. Testes enim mentiri, corrumpi, ac falli posse, hæc non posse. Contra hæc omnia communis locus est, quum suspiciones attenuamus, e-

asq; non minus in alios, quàm in nos conuenire ostendimus: quum iniquum esse dicimus, ex tenui suspicione quemq; iudicari: si sic facere liceat, unumquenq; in ius rapi, atq; in suspicionem multorum criminum trahi. A rumoribus locus communis, *quum esse id de reo uulgatum, & in omnium iam ore uersari, neq; temerè uulgari turpem de aliquo rumorem solere: neq; causam hominibus cur id fingant, esse dicimus.* Contra rumores locus est, *quum uulgo et famæ dicimus credi non oportere: rumores ut plurimum falsos esse, idq; exemplo alicuius falsi rumoris ostēdimus: item quum fictum aut uerum de aduersarijs rumorem proferimus, quem in ore omnium esse dicamus, eiq; tamen nos fidem ostendimus non habere.* Atque hæc in coniecturali causa considerantur: *quæ quoniā in epistolam cadere frequenter solent, quum rem uel factam, uel faciendā coniectura inuestigamus, quod* Cicero *ad* Lentulum *in causa regia planè ostendit: propterea sunt à me pluribus uerbis explicata.* Nunc ad legitimam *constitutionem transeamus.*

De legitima constitutione. Cap. IIII.

Legitima *constitutio est, quū ex lege, aut scripto, aut nomine facti controuersia nascitur: ut quum leges, testamenta, uoces ipsæ alio modo ab*

accusa-

accuſatore, alio ab reo accipiuntur. Ea quoniam tota Iuriſconſultorum eſt, neq; cadere non modò in epiſtolam, ſed ne in orationem quidem noſtra ætate unquam poteſt, ad ſuſceptam institutionē non pertinet: ſed ne uideamur eam aut neglexiſſe, aut ignoraſſe, quoniam in ordine diuiſionis uenit, eam paucis explicabimus. Habet igitur partes ſex: Scriptum, ſententiam, contrarias leges, ambiguum, definitionem, translationem, ratiocinationem. Ex ſcripto & ſententia controuerſia naſcitur, quum uoluntas ſcriptoris cum ſcripto diſſentire uidetur, hoc modo: Sit lex, quæ iubeat eos qui nauem ob tempeſtatem deſeruerint, perdere nauem: ſi ſeruetur, eorum eſſe qui in naui remanſerint. Igitur quum tempeſtate periclitaretur nauis, omnes eam metu deſeruere, præter unum ægrotum, qui fugere non potuit. nauis caſu ſeruatur, eam ægrotus lege poßidet: repetit is cuius fuerat, quòd ægrotum dicat neceßitate, non uoluntate in ea remanſiſſe, neq; hoc ſenſiſſe ſcriptorem. Naſcitur controuerſia ex ſcripto & ſententia. Ex contrarijs legibus cōtrouerſia conſtat, quum alia lex quippiam iubet aut permittit, alia uetat, hoc modo: Lex uetat hominem repetundarum damnatum in concione orationem habere. Alia lex iubet, augurem eum qui defuncti locum petat, in concione nominare. Augur repe-

tundarum damnatus, eum qui defuncti locum petit, in concione nominat. petitur ex eo multa ex priore lege: is se posteriore defendit. nascitur quæstio ex contrarijs legibus. Ex ambiguo controuersia nascitur, quum scriptum duas aut plures inter se sententias uidetur habere, hoc modo: Cicero in testamento sic scribit: Tullius hæres meus dato Terentiæ uxori meæ triginta pondo argenti, quæ uolet. Illa post uiri mortem optimum & preciosissimum petit: hic deterrimum uult dare: uterq; testamenti uerba pro se interpretatur. quæstio nascitur ex ambiguo. Ex definitione controuersia oritur, quum de nomine facti dissensio est, hoc modo: Quidam sacra uasa in loco profano relicta casu reperit, domum detulit: quæruntur à sacerdotibus, apud hunc inueniuntur: accusatur sacrilegij: defendit se uocabuli definitione: neq; sacrilegum, neq; furem esse: & quid sacrilegium sit, quid furtum, definit. nascitur ex definitione controuersia. Ex translatione causa constat, quum aut tempus differendum, aut accusatores, aut iudices mutandos reus dicit. hæc apud ueteres quoque perrarò in iudicium ueniebat. Ex ratiocinatione causa constat, quum res sine propria lege uenit in iudicium, sed similitudinē aucupatur ex legibus, hoc modo: Lex est, si quis furiosus erit, in eo, & bonis eius cognatorum potestas esto.

esto. Et lex, *qui patrem necauerit, in fluuium demergatur*. Et lex, *paterfamilias uti super familia, pecuniaq; sua legauerit, ita ius esto*. Et lex, *si paterfamilias intestatus moritur, pecunia eius agnatorum esto*. Malleolus *per furorē matrem necat: in carcerem truditur: ibi testamentum scribit: mox in fluuium mergitur: hæredes adeunt hæreditatem: frater minor* Malleoli, *qui eum parricidij accusauerat, suam hæreditatem uocat, quòd is ob furorem testari non potuerit. hic certa lex in hanc causam nulla, multæ tamen per similitudinem afferuntur. nascitur ex ratiocinatione controuersia*. Ac *de legitima constitutione hactenus. nunc ad iuridicialem transeamus.*

De iuridiciali constitutione absoluta. Cap. V.

Iuridicialis constitutio est, in qua de facto conuenit: iure, an iniuria factum sit, quæritur: ut quum Orestes *se matrem fatetur occidisse, sed iure id à se factū esse defendit*. Eius *partes sunt duæ, absoluta & absumptiua*. Absoluta *est, in qua factum ita defenditur, ut nulla ad id extranea defensio petatur: ut*, Mimus *qui* Accium *poetam in scena nominauit, in ius ab eo uocatus, id solum defendit, licere nominari poetam, cuius scripta dentur agenda*. Ea *constitutio tractabitur, quum idip-*

sum, quod factum esse constat, licere ostendemus. Probatur autem aliquid licere iure naturæ, lege, consuetudine, iudicato, æquo & bono pacto. Naturæ ius est, quod nulla institutione ab ipsa natura nobis insitum est: quale est, ut liberi à parentibus amentur, eosq; ipsi mutuò ament, ac colant. Lex est constitutio, quam populus, uel senatus, uel princeps sanxit: quale est ius ciuile, ius pontificium, quod ius canonicum appellamus. Consuetudo est usus diu inter homines nulla lege seruatus: quale est, ut mortui in monumentis maiorũ sepeliantur. Iudicatum est, quod sententia unius, aut multorum iudicum aliqua de re publicè decretum est: quales sunt sententiæ, quæ quotidie à iudicibus in omni ciuitate de causis feruntur. Eæ quoniam eadem de re sæpe diuersæ sunt, uidendum est, si quando eas in nostra causa proferemus; ut & plurimas & approbatißimas afferamus. quo loco tum iudices, tum res ipsas iudicatas inter se comparare poterimus. Quod autem de iudicatis in causa iudiciali accidit, id in epistola de rebus ab alio dictis ac factis accidere poterit. in epistola enim omnis generis causæ sæpe incidunt. Sed hoc ab oratione differt epistola, quòd oratio iudices habet, epistola non habet, nisi illum ipsum ad quem scribimus, nostrarum rerum iudicem uelimus. Aequum & bonum est, quod boni uiri o-

misso

misso iuris rigore, ad communem utilitatem iudicauere: ut si pater filium exhæredauerit, & qui hæredes constituti sunt, ei dare aliquam partem bonorum paternorum iudicentur. Pactum *est id, quod duo pluresue seruandum pepigere: seq; ad id uel solo uerbo, uel iureiurando, uel scripto astrinxerunt. his partibus iuridicialem absolutam tractari conueniet.*

De iuridiciali assumptiua. Cap. VI.

Assumptiua iuridicialis est, quæ factum accersita extrinsecus ratione defendit: ut quum Orestes dicit, Occidi matrem, qui illa patrē meum occiderat. Hæc *partes habet quatuor: concessionē, remotionem criminis, translationem criminis, comparationem. Concessio est, per quam nobis ignosci postulamus.* Ea *diuiditur in purgationē, & deprecationem.* Purgatio *est, quum consulto à nobis factū negamus.* Ea *diuiditur in necessitatem, fortunam, & imprudentiam.* Necessitas *est uis, cui à nobis occurri non potest: ut, ille qui ad diem statum in iudicium nō uenit, quòd eum morbus, uel uis aquarum impedisset.* In *ea uidendum est primùm, utrum ea necessitas sit satis idonea ad impediendum causa: deinde, num nostra causa acciderit, num uitari potuerit, num consultò in-*

eam

eam incidisse existimari possimus. Postremò, nũ ob eam necessitatem excusari aut absolui debeamus. Fortuna est casus inopinatus, atq; improuisus: ut qui quum feram sagittis peteret, hominem casu prætereuntem interemit. Imprudentia est, inconsiderata dictorum, factorumq; emissio: ut qui criminis culpam in amorem, ætatem, ignorantiam confert. Ac fortunæ quidem & imprudentiæ ijdem penè loci, qui necessitatis sunt. Considerare enim oportet, num id præuidere, aut scire, aut cauere potuerimus: num causam ei rei aut ipsi præbuerimus, aut præbuisse existimari possimus: num satis ea res, quam afferimus, præsidij aut momenti habeat: num ob id nobis ignosci conueniat. Sed hæc omnia erunt pro eius apud quem agemus, qualitate tractãda. aliter enim nos apud amicum, aliter apud superiorem aut principẽ excusamus. Deprecatio est, declinandæ pœnæ gratia facta supplicatio. Ea est, quum reus fatetur se non casu, aut imprudẽtia, aut necessitate, sed consulto peccasse, & tamen postulat ignosci sibi. Ignoscendi ratio ex personis & rebus maximè sumitur. Ex persona eius qui peccauit, quum eius nobilitatem, uirtutem, meritaq; in patriam, in alios, uel in eos ipsos qui sunt ignoturi, ostendimus: quum eius merita cum peccatis comparamus, & multo plura ac maiora hæc quàm illa esse probamus:

bamus:

bamus: quum optimam de eo spem in posterum demonstramus: quum eum non dolo, aut odio, aut malo animo peccasse dicimus. A persona iudicum ueniam captabimus, si de eorum humanitate, clementia, consuetudine ignoscendi quàm plurima proferemus: si eos, quibus ipsi ignouerint, in exemplum adducemus, & homines homini, causam causæ comparabimus: si ex ea re non modò nullam infamiam, sed maximam etiam clementiæ & mansuetudinis laudem eos, si ignouerint, consecuturos esse ostendemus. A re ipsa captabimus ueniam, si rem ipsam, quantum licebit, omni ex parte attenuabimus: si in re simili alijs ignosci solere, aut ignotũ esse ostendemus. Hæc quidem causa in iudiciũ nunquam uenit: in priuatum uitæ usum, atq; in epistolam sæpe uenit: proptereaq; est à nobis pluribus uerbis explicata. Remotio criminis est, per quam à nobis nõ crimen, sed culpam remouebimus, eamq; aut in hominem quempiam, aut in rem transferimus. In hominem: ut qui hominem occidit, id se magistratus, aut principis iussu fecisse defendit. In rem: ut qui noctu armatus contra edictum inuentus, id se uel inimicitiarum, uel grassatorum causa fecisse affirmat. Si culpam in hominem conferemus, primùm ostendere oportebit, quam ille iubendi potestatem habeat. Deinde utrum nos honestè

neſtè recuſare quod iubebatur, poteramus. Po-*ſtremò, num ea de cauſa nobis ignoſci conueniat. Quum in rem culpam conferremus, & hæc eadem, & ea quæ de neceßitate præcepta ſunt, erunt ſeruanda.* Translatio criminis eſt, per quã nos aliorũ peccatis coactos peccaſſe confitemur: ut Oreſtes, qui crimen ſuum in matrem confert, quæ patrem antè interemerit. Hac in parte conſiderandum erit, primùm, num uerè crimen in alium transferatur: deinde, num æquale ſit huic de quo agitur. deinde, an iudicium de illo factum ſit: tum, an debuerit reus alio crimine crimen illud uel iudicare, uel ulciſci: poſtremò, quid futurum ſit, ſi cæteri idem faciant, & ſibi ius armis dicant. Quid ſi idem accuſator nunc feciſſet? Atque hi ſunt accuſatoris loci. Reus atrocitatem alieni criminis ponet ante oculos, ſeq; id coactum feciſſe oſtendet, neque utile aut tutum fuiſſe iudicium expectare. Comparatio eſt, quum de duobus malis minus nos elegiſſe oſtendimus: ut qui obſeſſus ab hoſtibus, quum de ſalute deſperaret, exercitum incolumem eduxit, impedimenta hoſtibus tradidit. In ea primùm accuſator quæret, utrum utilius, honeſtius, laudabilius fuerit, id quod reus fecerit, an aliud quippiam. Deinde habuerit'ne is ſtatuendi poteſtatem, an ab alio petere

tere debuerit. Deinde, fuerit'ne aliud remedium, ne id fieri necesse esset. Tum inferetur ab accusatore per coniecturam suspicio auariciæ, doli, metus, aliarumq; rerum, quæ augere crimen possunt. Defensor & suspicionem cupiditatis ac doli omnem tollet, & magnitudinem periculi ponet ante oculos: tum ab iudicibus, ab accusatoribus quæret, quid ipsi fecissent, si eo in discrimine constituti fuissent. Postremò per comparationem malorum ostendet nihil aliud utilius fieri potuisse. Ac de iudicialis quidem causæ generibus, satis pro suscepta institutione dictum puto. Nec dubito fore, qui superuacuam hanc partem existiment, quum epistola ad amicum, non ad iudicem scribatur. Sed primùm ita causæ tractandæ sunt, ut amicos quoque de illis iudicaturos existimemus. Deinde ad superiores nonnunquam, item ad inuidos & inimicos scribimus: apud quos non aliter quàm apud iudices obiectiones refellere, nostrum factum excusare, accusare alios, sæpe compellimur. Postremò, nulla de re scribere possumus, in quam non aliquis ex ijs quos diximus, locis incidat. Sed hæc hactenus.

Nunc ad deliberatiuum genus transeamus.

De

De causis deliberatiuis. Cap. VII.

In omni autem deliberatione tria potissimum notare debemus: personas, res, causas. Personae duae sunt, nostra, & eorum apud quos agimus. aliter enim ciuis agere debet, aliter peregrinus: item aliter magistratus, uel princeps, uel dominus: aliter priuatus, uel subditus, uel seruus. Sunt praeterea dignitatis, loci, aetatis, temporis differentiae: ut aliter sacerdos, aliter popularis: aliter iuuenis, aliter senex: aliter in tẽplo, aliter in senatu, uel in foro: aliter in bello atq; apud exercitũ, aliter domi, cùm pax est, uerba faciat. Permagni quoq; refert apud quos dicamus, uel ad quos scribamus. aliter enim apud senatum, aliter apud populum, aliter apud principem, aliter apud amicum loquimur. Quarum quidem personarum habere rationem prudentia atque usus uitae potius, quàm ars ulla docere nos potest. Verùm tamen nos quoque ea quae praecipi hac de re posse uidebuntur, suo loco dicemus. Res omnis quae in consultationem uenit, aut possibilis, quod Graeci δυνατὸν uocant, aut utilis, aut honesti rationem habet. Neque uerò utile ab honesto separo, quòd aliud utile, aliud honestum esse censcam: sed quia cum imperitis, ut plurimum, agimus,

qui

qui utriusq; rei rationem in uita communi separauere, nobis etiam in dicendo ac scribendo separanda est: ut nunc solam honestatem, nunc solam utilitatem propositam habeamus. Quum deliberamus, utrum aliquid fieri poßit, id ex tempore aut præsenti, aut futuro consideramus. Ex præsenti: ut quum pontifex deliberat, utrum fieri hostiæ portus poßit. Ex futuro: ut idem consultat, si Ferdinando regi bellum inferat; utrum eum poßit ex Italia expellere. Quæ quidem deliberatio quoniam in coniectura tota posita est, inde loci omnes nobis petendi sunt. Illud tamen uidendum, ut quæ superius de re facta præcepta sunt, ea nunc ad rem faciendam accommodemus. Illa præterea magnopere consideranda sunt, locus, tempus, modus, occasio, facultates, et cætera quæ aut gerendum negotium præcedere, aut gestum subsequi solent. Quæ quidem omnia quoniam in priori uolumine, quum de confirmatione ageremus; satis, abundeq; tractauimus, inde repetemus. Vtilis autem consultatio distribuitur in bonorum, malorumq; rationem. Bona in uita communi aut corporis, aut fortunæ, aut animi appellamus. Bona corporis sunt, uires, ualetudo, forma, celeritas, agilitas, & cætera eius generis. Fortunæ bona sunt, nobilitas, opes, honores, dignitates, potentia, soboles, familia, & quæ his similia sunt.

Animi bona sunt, ingenium, memoria, uirtutes, disciplinæ, mores, & quæ sunt eius generis. Mala *horum omnium contraria sunt, ut imbecillitas, ægritudo, tarditas, fortunæ obscuritas, paupertas, abiectio.* Animi *uitia, ignorantia, morũ peruersitas.* Atq; *in bonis quidem adeptionẽ, conseruationem, incrementumq; considerabimus.* In *malis, imminutionem, fugam, euasionem, immunitatem.* Honesti *consultatio in recti & laudabilis rationem diuiditur. non quòd laudabile aliquid esse poßit, quod rectum non sit: aut rectum, quod non sit laudabile: sed quia rectum nonnunquam sine laude est, laus sine recto nũquam est.* Nonnulli *uerò sine ulla spe, aut cupiditate gloriæ rectum expetunt: alij solam rerum gestarum tanquam precium expetunt gloriam.* Ideo *mihi utriusq; locos tractandos seorsum existimaui.* Rectum *igitur quatuor ex partibus maximè sumitur, prudentia, iustitia, fortitudine, modestia.* Prudentia *est, rerum omnium ad usum uitæ pertinentium cum delectu scientia.* Eius *partes sunt, memoria, intelligentia, prouidentia.* Memoria *est, per quam ad usum nostrum præterita recordamur.* Intelligentia *est, per quam præsentia rectè perspicimus.* Prouidentia *est, per quam futuris occurrimus.* Prudentiæ *partibus utemur, si præteritis rebus præsentes, futurasq; comparabimus: si commoda*

moda cum incommodis cōferemus: si rationibus atq; exemplis quæ sequenda sint, et fugienda, demonstrabimus: si alicuius scientiæ aut artis rationes ad rem, de qua agimus, afferemus: si quo pacto eorum apud quos agimus, dignitati ac saluti consuli in posterum poßit, ostendemus. Iustitia est æquitas, ius suum unicuiq; pro dignitate tribuens. Eius partes sunt, pietas, fides, beneficentia, & quæ proprie appellatur iustitia. Pietatis partibus utemur, si in Deum, patriā, parentes, propinquos seruanda esse officia suadebimus. Fidei partibus utemur, si pacta, cōuentiones, promissa omnibus inuiolabiliter seruāda eße ostendemus. Beneficentiæ partib. utemur, si opes & copias nō ad luxum, sed liberalitatē conferendas: si socijs, amicis, propinquis, bonis uiris, indigentibus subueniendū esse dicemus. Iusticiæ partibus utemur, si naturæ, gentium, ciuium iura, leges, consuetudinem, instituta seruari oportere demonstrabimus: si nemini iniuriam inferendam: illatam, quantū liceat, propulsandam: item si societates & amicitias colendas: si ius suum amota omni cupiditate, & perturbatione animi, tribuendū: si omnia deniq; ad communē utilitatē referenda esse censebimus. Fortitudo est, animi in rebus gerendis, tolerādisq; cū periculorū contemptione cōstantia. Eius partes sunt, audacia, patientia, perseuerantia. His partib. ute-

mur;si magno animo pericula omnia subeunda esse suadebimus:si mortem,exilium,uincula,cruciatus,tormenta,uiro forti nequaquam timenda eſse demonſtrabimus,ut patriæ,parentum,et eorum ipsorum salus,incolumitas,dignitasq́; seruetur:si nihil turpe,nihil humile,aut indignũ mortis,aut doloris,aut periculi metu faciendum atq; dicendum esse ostendemus:si res aduersas fortiter, patienterq́; tolerandas:si summam in dictis ac factis constantiam seruandam esse hortabimur. Modestia est,continens in omni re, ordine adbibito, moderatio.Eius partes sunt,continentia, modus, ordo,decorum.His utimur,si cupiditates opum, honorum,libidinis,gulæ,similiumq́; rerum uituperabimus: si omnibus in rebus terminum, modumq́; statuemus: si,quid in singulis rebus deceat,uidendum ac seruandum esse suadebimus.Atq; his potiſsimum locis recti ratio tractabitur. Laudabile id dicitur, quod famam & gloriam apud omnes honeſtam atq; optabilem ex sese parit. Id sumitur uel à maioribus noſtris,quũ oſtendimus, quantam illi ex ea re gloriam consecuti sint: uel à præsentibus,quum oſtendimus,quanto in precio ea res apud omnes sit: uel à poſteris,quũ gloriam,uel immortalitatem,uel beatitudinem tum à Deo,tum ab hominibus ex ea re consecuturos illos esse promittimus. Causæ autem considerantur

*tur in deliberatione tum ex ipsa re quæ uenit in consultationem, tum ex fine, quē sequi oporteat. Res autem omnis aut per se deliberationem facit: ut si quis deliberet, det'ne operā philosophiæ, an non. aut propter extraneam causam: ut si Pontifex deliberet, an inferat Ferdinando regi bellū, ut ille id quod Pontifici debet, persoluat. Quibus in causis locus, tempus, modusq; ponitur: ut si quis deliberet, utrum hoc tempore bellum inferendum, aut hoc loco incipiendum, aut hoc modo gerendum sit. Quū res ipsa faciet deliberationem, omnibus eam modis aut augere, aut extenuare oportebit. Quum autem propter extraneam causam ueniet in consilium, primùm causam ipsam uel augebimus, uel minuemus. Deinde quantum momenti ad rem illam, de qua deliberamus, habere debeat, ostendemus, & rem cum causa conferemus. ut, satis'ne idonea causa sit * pro magnitudine rei appareat. tum rei finem spectabimus, ad eumq; nostras argumentationes omnes dirigemus. Finis erit, aut utilitas, aut honestas. Sed quoniam, ut Quintilianus ait, nihil aliud est delibera tio, quàm quædam comparatio rationum, si quando res utraq; in dubium & comparationem ueniet, qui utilitatem præponet, his locis utetur. Incolumitatem, & salutem omnibus rebus præferendam esse: uirtutibus neminem rectè uti posse,*

qui à periculis tutus non sit: non uirtutem, sed temeritatem esse eius, qui, quum sine periculo possit uiuere, pericula sponte suscipiat: neq; illi Deũ adiutorem esse, qui se ultro periculis offerat: honestum nihil existimari conuenire, quod salutem nõ pariat. Qui rationem honestatis præferet, his locis utetur. Virtutem nunquam deserendam, dolorem, mortemq; turpitudine atq; infamia leuiorem esse: mortem honestatis causa ultro esse subeundã. Quo loco eorũ exemplis utetur, qui pro patria & honestate ultro mortem oppetiere: neminem exploratum habere, illo uitato periculo, incolumem se perpetuò & immortalem fore: qui honestè uiuat, eum satis abundeq; tutum esse: qui turpiter, diu incolumem esse nõ posse: fortunam quoque uirtuti adiumento esse solere: postremò, quæ laus apud posteros & immortalitas ex rectè factis cõsecutura sit, quæ contrà ex turpibus ignominia. Potest autem deliberatio duplex, aut triplex esse: ut si quis deliberet, det'ne operã iuri ciuili, an medicinæ, an philosophiæ: quæ quum inciderint, finis omnium spectandus erit, uidendumq; quid sequatur is qui deliberet. Quoniã aũt deliberatio duplex officium habet, suadendi, & dissuadendi: ex quibus locis suasionẽ comparabimus, ex cõtrarijs dissuasionẽ constituemus. Contrariorũ enim eadẽ est disciplina. Sed de hoc hactenus. Nũc ad demonstratiuum genus transeamus.

De

De causis demonstratiuis, dijsq; laudandis. Cap. VIII.

Demonstratiuum genus consumitur in laudē, & uituperationē. Sed quoniā & potior laudandi pars est, & ex laudis contrarijs locis uituperatio cōstat, de ea potißimū dicemus. Laus igitur aut à personis, aut à rebus sumitur. Personæ *in deos & homines distribuūtur.* Deū *ipsum laudare ob eius magnitudinē uox humana nō potest: sed singulos eius actus laudamus, ut potentiā, sapientiā, prouidentiā, mansuetudinem, ordinē, & cætera eius generis, quæ ex eius operib. consideramus.* Ea *præterea, quæ ab homine satis intelligi nō possunt, admiratione et ueneratione prosequimur, ut creationem mundi, coniunctionē humanæ diuinæq; naturæ, triū personarū in eadē essentia (sic enim loqui necesse) distinctionē, et quæ sunt eius generis: quib. de rebus dicere qui uolet, eas, quas dixi, partes amplificabit, hominesq; in earū admirationē, cōtemplationemq; adducet.* Hoc loco *mihi error eorū indicandus est, qui quū diuinū aliquid in concione laudaturi sunt, ea de re partim disputant, partim præcipiūt, ac docent, quasi in schola apud discipulos, non in templo apud populū uerba faciant: quæ ratio tum à loco, tum à tempore, tum à personis maximè aliena est.* In *quod quidem uitium plerique eorum incidunt, qui* Romæ *apud*

Pontificem festis diebus cōcionantur. Quod *quidem mihi dicendum putaui, non ut eos reprehenderem, qui in cæteris disciplinis docti sunt, hanc facultatem omnino non attigerunt: sed ut hi qui oratores haberi uolunt, id uitium et planè cognoscerent, et quantũ possent euitarent. Sed ut ad institutũ redeamus, ita diuinæ res tractandæ sunt, si publicè dicamus, ut oratio, non lectio, aut disputatio uideatur.* Epistola *quia ius docendi habet, liberior est.* Hi *uerò quos diuos, uel recepto iam uocabulo Sanctos appellamus, tum ab humanis, tum à diuinis partibus laudandi sunt.* Humanæ *partes, natura, fortuna, & animo continentur.* Naturæ, *siue corporis partes sunt, forma, robur, ualetudo, uelocitas, agilitas, proceritas, dignitas, & quæ his similia sunt.* Has *illi partes si habuerint, aut extenuaße ieiunijs, aut in solitudine abscondisse, aut squalore situq; obduxiße, aut ad diuinarum rerum usum contulisse, dicendi sunt: si non habuerint, non quæsisse, imò etiam contempsisse.* Fortunæ *partes sunt, genus, educatio, patria, honores, dignitates, inopia, clientelæ, amicitiæ, affinitates, liberi, nepotes, & cætera eius generis: quæ si fuerint, ab alijs partim relicta, partim egentibus erogata, partim ad diuinum cultum collata esse, dicendum erit: si non affuerint, non esset quæsita, imò etiam omni studio euitata.* Animi *partes*

sunt,

sunt, prudentia, iustitia, fortitudo, modestia: quarum officia, quia satis abundeq; in deliberatiuo genere demonstrauimus, in præsentia attingere non conuenit. Hæ partes ita in his uel uniuersæ, uel singulæ laudandæ sunt, ut rectum illud, perfectumq; officium, quod κατόρθωμα Græci uocāt, semper secutos eos fuisse, omnesq; actiones suas ad Dei cultum atq; amorem retulisse demonstremus. Illæ præterea uirtutes, quas nostri theologicas uocāt, fides, spes, charitas, in summa eorū laude reponendæ. Diuinæ partes sunt, quæ supra hominū positæ, humana ope cōparari non possunt: ut doctrina sine studio, genera linguarū sine earum commercio nationum, curationes ægritudinum sine arte medicinæ, & alia permulta, quæ tum Apostolis, tum alijs sanctis uiris à Deo data esse non dubitamus. Neq; uerò hæc in omnibus omnia laudanda sunt, sed alia in alijs, ut quisq; uisus est in aliquo genere præstitisse: ut in charitate Stephanus, Laurentius in patientia, in eloquentia & linguarum interpretatione Hieronymus, Augustinus in multarum rerū scientia, Antonius in sanctitate uitæ, & cæteri eodem modo. Multorum mors ipsa insignis atq; admiranda est, quos recepto Græco uocabulo martyres appellamus. Aliorum uel inuentio, uel translatio maximè gloriosa, proptereaq; consecuti sunt homines eo tem-

pore beneficia. Et de sanctorum quidem uirorum laudatione hactenus. Quam quidem partem sum paulo latius executus, quoniam et res ipsa, quippe quæ noua sit, usq; ad hoc tempus intacta fuerat, & hoc tempore magno Romæ in usu est. Nunc ad reliqua pergamus.

De laudandis hominibus. Cap. IX.

Cæteri uerò homines aut uiuẽtes, aut defuncti laudantur: uiuentes item aut coràm, aut absentes. Qui coràm laudãtur, summa grauitate, summaq; modestia laudentur necesse est, ne scurræ magis et adulatores, quàm oratores uideamur. dandaq; opera est, ut indicandæ potius, et testificandæ alijs uirtutis eius, quàm hominis laudandi gratia suscepta esse nostra oratio uideatur: iustaq; in primis, atq; honesta, imò etiã, si poterimus, necessaria eius suscepti officij causa ostendenda est. Oratio uerò non nisi ex admiratione quadam ad ipsum qui laudatur, dirigenda est: curandũq;, ne id nos munus uel referendæ, uel aucupandæ hominis gratiæ studio suscepisse uideamur. Absentes laudare liberius oratio potest: Epistola, quanquam nõ erubescat, tamen ne adulationis suspicionẽ moueat, nõ potest. Defuncti ita mihi laudãdi esse uidentur, ut cõsolari magis eos apud quos dicimus, quàm illos laudare uelle uideamur. Quod contrà faciunt plerisq; corũ, qui nostro tempore oratores haberi uolunt.

sunt. Ita enim ad laudandũ accedunt, ut apertè se laudatores atq; assentatores esse fateantur. Ita uerò laudant, nõ ut orationẽ habere, sed ut eius uiri recitare ab se scriptã historiã existimentur. Mihi uerò funebriũ orationũ ea seruãda ratio uidetur: primùm, ut iustißimũ esse eorum apud quos dicimus, dolorem, nostrumq; cum illis communẽ esse ostendamus. Deinde, ut eos illorum qui defuncti sunt, uirtutibus, rebus gestis, gloria, felicitate, & memoria consolemur. Laudantur autẽ omnes homines ab his potißimũ partibus, quas suprà commemorauimus, naturæ, fortunæ, animi. Ac duo quidem illa superiora ita cõmemorantur, ut non propterea quòd ea quis habuerit, sed quòd his optimè fuerit usus, laude dignus existimetur. Vsus enim illorum, non possessio, laudem affert. Nam et à malis plerunq; et sine ratione poßidentur. Laudantur tamen non immeritò ij, qui, quũ ignoti obscuriq; sint, summas tũ opes, tũ dignitates sunt uirtutibus et rebus gestis cõsecuti. Nonnullis contrà uel paupertas, uel cæcitas, uel alia corporis fortunæq; calamitas laudem et gloriã non mediocrem attulit, illustrioresq; eos incommoda reddiderũt, quàm ulla reddere cõmoda potuissent. Animi uerò partes ita laudãdæ sunt, ut et habuisse eas quis, & summa cum dignitate semper exercuisse cõmemoretur. Illa uerò, de qua ueteres scribũt, uirtutũ quatuor

quatuor in partes distributio, in excogitando quidem apud animum semper est, meo iudicio, proponenda, in scribendo aut dicendo non semper explicanda. Omnes enim uirtutes in omnibus cõmemorare si uelimus, irridere eos potius, quàm laudare uideamur. In milite enim religionem, in sacerdote bellicam disciplinam laudare non conuenit. Videndum autem est, ut singularum uirtutum partes notas habeamus, ne quid quod in illis laudabile sit, præterire poßimus: & quæ unius uirtutis propria sunt, alijs tribuamus. ut si quis opum distributionem, aut incommodorum tolerantiam prudentiæ ascribat, aut consilium in rebus gerendis modestiæ, ac temperantiæ. Neq; uerò existimemus eum qui doctus non sit, prudentem, aut sapientem, aut bonum uirum appellari non posse: sed qui ita sit affectus, ut multarum rerum usum habeat, multa ab eo extent uel prouisa prudenter, uel acta constanter, uel responsa acutè, ut de Catone scribit Cicero, eum appellare sapientem nõ dubitemus. In iustitiæ partibus quædam nostra ætate laudantur, quæ ueteres nõ commemorabant. Et obseruantia in Deum, ac religionem nostram, & obedientia, in sacerdotibus præsertim, ac religiosis uiris magnam, si aßit, laudem affert: si absit, summã uituperationem. Quid pars illa liberalitatis, quæ egenis succurrit, nobis

ex

ex diuina institutione tradita, quam nos recepto Græco uocabulo eleemosynam appellamus, quantam nunc hominibus laudem affert, quæ ueteribus penè incognita fuerat? Clementia erga inimicos, quæ nobis item ex diuino instituto seruanda est, si aßit, magna laude digna erit: quod præcipuè in Stephano laudamus martyre. si absit, sacerdotibus præsertim, uitio dari poterit. Patientiam quoq; religio nostra laudabiliorem atq; illustriorem facit. Castitas apud antiquos tantum in mulieribus laudabatur: nunc uerò etiam in uiris ita, ut intactum se ab omni coitu, mundumq́; seruasse, & ut quidem nunc loquimur, uirginem esse, quod de Ioanne apostolo scribitur, summæ laudi ac sanctimoniæ tribuatur. Quid nobis illæ diuinitus traditæ uirtutes, fides, spes, charitas, quantam cùm omnibus, tum uel maximè sacerdotibus uel laudem, si aßint, uel si absint, uituperationem afferunt? Quantum habent in utraq; parte momentum? Sunt igitur hæ quoq; diligenter, accurateq; tractandæ. Atque hæc potißimum in laudandis hominibus consideranda sunt. Illud in primis uidendum erit, ut proprias unicuique laudes accommodemus: neq; omnes eadem ratione laudemus. aliter enim magistratus, aliter priuati homines laudandi sunt. Aliæ regem, aut Imperatorem, aut belli ducem: aliæ Pontificem, aut

sacerdo-

sacerdotem laudes decent. Quæ quidem omnia, nisi admodum imprudens atq; imperitus fuerit, discernere unusquisque facillimè poterit. Sed de laudibus personarum hactenus. Nunc de rerum laudibus pauca dicam.

De rebus laudandis. Cap. X.

Res autem omnis corporea est, aut incorporea. Corporeæ res sunt aut à natura institutæ, ut elementa: quæq; in illis sunt nata, ut plantæ, metalla, gemmæ: aut hominũ industria sunt comparatæ, ut urbes, templa, domus, earumq; ornamenta. Incorporeæ sunt aut artes, ut pictura, sculptura: aut scientiæ, ut rhetorice, philosophia: aut uirtutes, ut iustitia, fortitudo. Corporeæ res omnes, quæ à natura sunt, partim à natura sua, partim ab usu nostro laudantur. A` natura quidẽ sua laudantur, quũ earum species, ordo, proprietatesq; commemorantur. Ab usu nostro, quum fructus, commoda, emolumenta, delectationes, quæ ex his percipiuntur, commemoramus. Quod quidẽ pulcherrimè facit Cicero in secundo de Natura deorum, quũ mundi uniuersi pulchritudinẽ, ornatũ, usumq; describit. Facit multis in locis Plinius, quũ uel prouincias, uel plantas, uel gemmas, uel alia opera naturæ collaudat. Facit omniũ optimè, elegantißimeq; Virgilius, quum in Georgicis Italiæ

laudes

laudes describit. Atq; in locis quidem consideratur in primis cœlum, clemens, an asperum sit: salubre, an pestilens: calidum, an frigidum: pluuium, an serenum. deinde solum, fœcundũ, an sterile: omnium rerum ferax, an aliquarum: uulgariũ praeterea, an earum quae paucis in locis nascuntur: utilium quoq;, an noxiarũ. situs praeterea loci consideratur, montanus, an planus: maritimus, an mediterraneus: portuosus, an importuosus: cui praeterea cœli regioni expositus. tũ uerò qui montes, quae syluae, quae flumina, qui lacus, qui fontes in eo sint, cõsiderantur. Postremò quae urbes, emporia, oppida in ea regione sint condita, & à quib. habitata. Vsus spectatur tũ ex his quae dictae sunt, partibus, tum ex cõmercijs, tũ ex cõmodis uitae traducendae, imperij propagandi, rerũq; gerendarũ occasionibus. Voluptas postremò, & delectatio cõmemoratur, aucupandi, uenandi, piscandi, tumq; non uno modo animum relaxandi. Plantae, metalla, gemmae, & caetera eius generis tum à specie ipsa, forma, colore, & nitore laudantur. tum ab usu, qui inde percipitur: ut emendi, uendendiq;, ex auro: ex ferro, belli gerendi: ex plantis, uescendi: ex gemmis, caetera exornandi. tum uerò ex ui quadam, & proprietate naturae, quae his in rebus multiplex, admirandaq; insit: quam nosse qui cupiet, legat eos qui de earum rerum natura

perscri-

perſcripſere, ut ex Græcis Ariſtotelem, Theo= phraſtum*:ex noſtris* Plinium, Albertum Magnũ, *aliosq; permultos.* Earum *uerò rerum, quæ ho= minum induſtria comparantur,urbes præcipuè ſunt.hæ laudantur tum ab his partibus, quæ locis attributæ ſunt:tum à ſpecie,tum figura.ab artifi= cioſis munitionibus, ut foßis, muris,turribus:ab ædificijs tum publicis, tum priuatis: ut uijs, tem= plis, aquæductibus, domibus, eorumq; ædificio= rum diſpoſitione,atq; ordine:tum uerò ab anti= quitate,conditoribus,alumnis,rebus geſtis, impe rio,legibus,inſtitutis,exemplis,inuentis, artibus, quæ ibi aut inuentæ primùm ſunt, aut floruerũt. Cætera porrò ædificia uel ab his omnibus, uel ab aliqua earum parte laudantur.in quibuſdam au= tem utilitas,ut in aquæductu: in quibuſdam digni tas,& quaſi maieſtas maximè conſideratur,ut in templis.Cæteræ res omnes,quæ artificio cõſtant, partim à materia,partim ab artificio, atq; arti= fice,partim à forma,partim ab uſu, partim à ra= ritate & precio, partim à poſſeſſoribus, & do= minis commendantur.* Ac *corporeæ quidem res ita,meo iudicio,tractandæ ſunt.* Incorporeæ *au= tem res,quæ in laudationem ueniunt, aut artes, aut ſcientiæ,aut uirtutes ſunt, ut ſuprà diximus.* Hæ *laudantur aut ab antiquitate, & inuentori= bus:aut à ſubiecto,& materia,in qua uerſantur:*

aut

aut à dignitate, & spectatoribus: aut ab utilitate, quam humano generi conferunt: cui est nonnunquam adiuncta necessitas: aut à fine, propter quē inuentæ ab hominibus, cultæq; sunt. has autem singulas partes explicare, quoniam & immensi operis esset, & ad nostram institutionem non pertinet, in præsentia non est uisum. earum qui notitiam nullā habebit, neq; dicere de his, neq; scribere quicquam poterit. Laudantur autem non solum ij habitus, uerùm etiam actus, siue actiones ipsæ, & quædam quasi professiones, institutionesq; uiuendi ab his ductæ profectæq; partibus: ut uita rustica, religiosa, solitaria, ciuilis, & quæ sunt generis eiusdem. Atq; huius quidem uniuersi generis laudandi hæc potissimum ratio est. Primùm, ut uitam ipsam uniuersam quanta maxima possumus diligentia describamus. Deinde, ut eius singula commoda enumeremus: tum explicemus ea quibus caret, incōmoda: deinde contrarium uitæ genus describamus, & utriusq; commoda et incommoda comparemus. quo loco per omnes partes uagari, easq; singulas cum illa quam nos laudamus, conferre poterimus. tum exemplis uti licebit eorum, qui id uitæ genus secuti sunt, in eoq; præ cæteris floruerunt. tum finem ipsius uitæ collaudabimus, ad eumq; omnes eius partes referemus. Omnis autem non modò deliberatio, ut

Quintilianus affirmat, uerùm etiã laus comparatione mihi maximè cõtineri uidetur. Illa enim siue res, siue persona, maximè cõmendatur, quæ cæteris sui generis præstare maximè demõstratur. Vituperatio uerò, quoniã ex contrarijs laudationis locis, ut superius diximus, conficitur, non est mihi latius explicanda. nam qui rectè laudandi rationem nouerit, uituperandi quoq; rationem tenebit. Humana præterea ingenia ad uituperationem, quàm ad laudem, promptiora sunt. Huc accedit, quòd singulis uirtutibus bina aut plura uitia opposita sunt, quo facilior uituperandi quàm laudandi ratio est. Ac de uniuerso quidem demonstratiuo genere diximus satis. Quod quidem copiosius quàm cæteri scriptores, executi sumus, tum quòd ætate nostra uel solum, uel maximum est, in quo latina uersetur oratio: tum quòd nos scribendi, non dicendi rationẽ tradimus, quæ quidem latißimè patet, atq; in materia uersatur. Postremò, illa etiam me ratio mouit, quòd hoc genus quasi facillimum & notißimum ueteres magis attigerant, quàm tractauerant. Nunc quo pacto hæc causarum genera ad scribendi rationem accommodentur, aperiemus.

De personis. Cap. XI.

Igitur qui ad scribendum accedit, duo illa in primis consideret necesse est, personam & causam.

sam. Personæ omnino duæ sunt, eius qui scribit, et eius ad quem scribit. Quoniam autem neque omnes, neq; ad omnes scribere eodem modo debent, (aliter enim ad pares, aliter ad superiores, aliter ad inferiores scribimus) personarum in primis habenda ratio est. Sunt igitur in omni persona quinq; potißimum consideranda: Natura, fortuna, studium, dignitas, affectio. In natura considerandus est sexus: ut, uir an mulier. ætas: ut, puer an adolescens, natu grandior, an senex. natio: ut, Italus an Gallus. patria: ut, Romanus an Venetus. In fortuna consideratur: ut, nobilis an ignobilis. conditio: ut, seruus an liber. ordo: ut, eques an senator. opes: ut, diues an pauper. existimatio: ut, clarus an obscurus. amplitudo: ut, potens an impotens, alicuius autoritatis an nullius. status uitæ: ut, pater an filius, maritus an cœlebs, priuatus an cum potestate. In studio consideratur ars liberalis, ut medicina, pictura, sculptura, mercatura: an illiberalis, ut sutoria, institoria, fullonica, lignaria, ferraria, cæteraq; eius generis, quæ recepto græco uocabulo Mechanicæ appellantur. Consideratur præterea disciplina: ut, philosophus an astrologus, orator an causidicus. habitus etiam, & profeßio quædam: ut, religiosus an popularis, siue, ut græcè dicam, laicus. religionis præterea profeßio & ordo non unus: ut, Petri,

Benedicti, Francisci, Dominici. Dignitas conside ratur, sacra an profana: ut, pontifex an rex. per petua, an ad tempus: ut, princeps an prætor. In affectione consideratur notitia, ut notus an igno tus: beneuolentia, ut amicus an inimicus: consue tudo, ut hospes an familiaris: propinquitas, ut ciuis an peregrinus: coniunctio, ut cognatus an affinis: officia, ut bene an malè de nobis meritus. atq; hæc in personis consideranda esse puto. Mutat autem in his scribendi rationem, earum quas modò nominauimus, partium potissimum comparatio. aliter enim (ut paulo antè dicebam) ad similes, aliter ad dissimiles scribendum est. Igitur si ad eos scribere nos continget, qui omni ex par te similes nobis, paresq; sunt, quanquam diffici le admodum id quidem uidetur, tamen si quando continget, honorificè de illis loquemur, eorumq; dignitatem, uirtutem, ingenium, iudicium nos magnifacere ostendemus. ita tamen loquemur, ut nostræ quoque uel ætatis, uel dignitatis rationem habeamus. Si ad eos scribemus qui nobis aliqua ex parte superiores sint, qua ex parte uidebuntur præstare, ei nos plurimum in scribendo tribuemus: etiamsi nos eos cæteris in rebus aut æquare, aut superare uideamur. Nam si ad natu maiores scribemus, eorum ætati plurimum defe remus, præsertim si ei aliqua pars adiuncta sit ex

earum

earum genere, quæ honestæ ab hominibus, & laudabiles existimantur. Si ad eos scribemus, qui nos fortuna & dignitate multo antecellant, exordio plerunq; utemur: & quum in eo, tum in tota epistola beneuolentiam summā captabimus, nisi fortè illis ualde familiares simus. Dabimus autē operam, ut tota epistola tum uerbis, tum sententijs grauis, ornataq; sit, eosq; omnibus in rebus nos magnificare ostendemus. ita tamen cum illis loquemur, ne nos ipsos contemptos, abiectosq; reddamus, præsertim si nos uel ætas, uel nobilitas, uel uirtus aliqua commendabit. Ab omni uerò non solum epistola, uerùmetiam cogitatione nostra, adulatio atq; assentatio in primis abesse debet: libero, ut ego quidem sentio, homine indigna. neq; ulla uel temporis, uel personæ, uel necessitatis ratio apud nos ualere tantum debet, ut cuiquam de ipso mentiamur. Nam tametsi credulos et stultos homines, nec non gloriæ cupidos falsis laudibus decipimus, nos tamen mentiri non debemus. Si uerò aliquod de se illi iudicium aut ingenium habeant, nos stulticiæ & uanitatis accusant, qui quod nobis persuasum non sit, alijs persuadere studeamus. Nominare autē quenquā unum in numero multitudinis, qui rectè, atq; ex antiquo usu scribere uolet, etiamsi ad pontificem aut regem scribat, non debebit. uox enim illa si ad alterum refe-

ratur, numerum, non dignitatem significat. Nos ita de nobis, ut de pluribus loqui, uel dignitatis, uel modestiæ ac uerecundiæ gratia planè licet: ut si laus aut dignitas ulla est, eam cum alijs communicare: si magistratus est, eum cum alijs gerere uideamur. Illa uerò epitheta, quibus apud pontifices, aut alios principes uti solemus, ut aliquid usui & temporibus concedamus, tollenda de nostris scriptis esse non arbitror, ne uel omnem penitus loquẽdi usum tollere, uel eos ad quos scribimus, qui magna ex parte indocti sunt, cõtemnere existimemur: quorum alterum imprudentis, alterum superbi posset iudicari. Quod si autẽ eorum res curemus, aut illis aliquo seruitutis uel officij genere astricti simus, familiarius cum illis per literas loqui licebit, præsertim cum res illis suas domesticas perscribemus. Seruabimus tamen eorum in omni scribendi genere dignitatem. Iocari cum illis per epistolas licere non puto, nisi compertum habeamus, eorum naturam iocis & salibus maximè delectari, existimemusq; per eos nos aut illorum gratiam inituros, aut facilius ab illis quod uolumus impetraturos. Quod si quando utilitatis ratio exiget, ut faciamus, uerecundè admodum & grauiter faciendum erit, ut & illis gratificemur, & nostram dignitatẽ retineamus. Si uerò nobis ad incognitos homines aliqua de

causa

causa scribendum erit, tametsi quo pacto scriptu ri simus, ipsa nos causa nostra facilè admonebit: (neq; enim ad eundem eodem semper modo scri bendum est) dabimus tamen operā, ut quàm ma ximam possumus à persona nostra beneuolenti-am contrahamus, eisq; nostrarum literarum cau sam aut necessariam, aut honestam, aut utilē esse, quantum possumus ostendamus, ad eosq; aliquid eius uel necessitatis, uel emolumenti, uel gloriæ pertinere demonstremus. Docilem uerò in pri-mis, attentumq; reddemus, nostræ tū causæ, tum personæ significatione. tota uerò epistola grauis & accurata sit, ut & ille se etiam in scribendo magnifieri putet, & nos apud eum opinionem nostri quàm maximam comparemus. Quum au tem ad inferiores scribemus, magna tum sexus, tum ætatis habenda ratio erit: ut non quid nos possimus scribere, sed quid eorum uel sexus uel ætas possit intelligere, putemus. Quid præterea uel sexui muliebri, uel iuuenili ætati conueniat, magnopere considerandum: eritq; id prudentiæ nostræ, ad unumquenq; pro ætate, pro dignita-te, pro doctrina, pro materia scribere. Si ipsi in magistratu, uel dignitate aliqua constituti eri-mus, ita scribemus, ut neq; dignitatis, neq; huma-nitatis obliti uideamur: quorum alterum humi-lis, alterum superbi animi existimari posset. Si

autem nos aut reipub. aut principis, aut alieno denique nomine ſcribere oportebit, qua in re totus ſcribarum ordo, qui maximus & honeſtißimus eſt, aßiduè uerſatur: dabimus operā, ut eius pro quo ſcribimus, tum naturam, tum dignitatē quàm notißimam habeamus: eiusq; perſonam, quantum poſſumus, induamus: ad eiusq; naturam, grauitatem, ætatem, dignitatem, officium, orationem noſtram omnem accommodemus: rei pub. in primis grauitatem & perſonam induamus, eiusq; inſtituta, mores, conſuetudines omnes in ſcribendo ſeruemus. Illud, ad quemcunque ſcribamus, in primis meminerimus, propterea nos ſcribere, ut legamur atque intelligamur. Quòd ſi uel longiores, uel obſcuriores erimus, quàm eius ad quem ſcribimus, ſiue natura, ſiue occupatio, ſiue doctrina poſtulabit, neutrum aſſequemur. ex quo fiet, ut & operam omnem in ſcribendo amittamus, & ab illis tum odio, tum contemptui habeamur. Quapropter orationem noſtram, quantum licebit, ad eorum qui lecturi ſunt, uoluntatem, doctrinamq; accommodabimus. Atq; hæc circa perſonas conſeruanda eſſe cenſeo. nunc ad res ipſas tranſeamus.

De generibus epiſtolarum. Cap. XII.

Omnis

Omnis autem ſcribendæ epiſtolæ materia à fine deducitur, qui actionum noſtrarum omnium dux & moderator eſt. Is, ut in ſuperiori uolumine diximus, duplex eſſe poteſt, docendi & mouendi. Abſentes enim aut doceamus, aut moueamus neceſſe eſt. Alia enim ſcribendi cauſa, quod ego quidem ſciam, eſſe poteſt nulla: ideoq; epiſtolarũ omnino genera duo fecimus. unum, quod ad docendos: alterum, quod ad mouendos abſentes ſit inuentum. Quoniam autem quum docemus, aut res diuinas, mores, uirtutes, diſciplinasq;, aut negotia uitæ ciuilis, actionesq; tractamus: illud potiſsimum in duo genera partiti ſumus, ſtudioſum ſeu contemplatiuũ, & actiuũ ſiue negotioſum: ac ſtudioſum quidem in duo genera rurſus diuiſimus: diuinum & morale, quod dilucidandæ rei gratia appellare aliter non poſſumus. Actiuum quoniam multiplex erat, certa in genera non diuiſimus, ne lectorum animos multiplici partitione confunderemus. Mouendi uerò genus in duo item genera diſtribuimus, concitatiuum, & remiſsiuum. Affectus enim omnes aut concitamus in abſentium animis, aut lenimus, remittimusq;. Horum generum ſpecies innumerabiles, atque infinitæ ſunt: quas quidem perſequi uelle, & infinitum & ſuperuacuum eſſet. Nos eas quæ maximè inſignes & neceſſariæ

uidebuntur, tantum persequemur: cæteras, quarum neque inuentio difficilis erit, neque tractatio ab his multum abhorrebit, scribentium ingenijs excogitandas, tractandasq; relinquemus.

De diuino & morali genere epistolarum. Cap. XIII.

Ac duo quidem illa superiora epistolarum genera, in quæ studiosum illud genus partiti sumus, quorum alterum in rerum diuinarū descriptione, alterum in morum ac disciplinarum præceptis positum esse diximus, quanquam minus necessaria nostræ institutioni fortasse uideantur, (nam et eorum tractatio aliarum disciplinarum propria est: & scribere de his qui uolet, maiorem eruditionem habeat necesse est, quàm ut ei in dictanda epistola elaborandum sit) tamen omittenda penitus esse non censui, uel ob id maximè, ut qui illis disciplinis instituti non essent, quū rei difficultatem intelligerent, scribere de his quicquam non auderent. Igitur scribere per epistolam aliquid siue de diuinis rebus, siue de liberalibus disciplinis qui uolet, ante omnia eius de qua scribere uolet, disciplinæ summam habeat cognitionem necesse est: neq; ab alijs petat, quod ipse alios docere uult. nam si positionem aliquam uel malè intellexerit, uel non suis uerbis expresserit,

ferit, uel oblitus aliqua ex parte fuerit, euestigio & res tota labefactabitur, ac corruet, & ipse suam tum impudentiam, tum ignorantiam indicabit. Neq; uerò eam tantum quam tractabit, quæstionem tenere satis erit, sed uniuersæ quoque disciplinæ fundamenta & uocabula teneat necesse est. nam & probetur unumquodq; per suæ disciplinæ principia, suasq; in causas atq; elementa resoluatur, & proprijs eius disciplinæ, peculiaribusq; uocabulis explicetur, necesse est: quæ qui ignorat, neq; efficit quod uult, & disciplinas ipsas confundit. Res itaq; primùm, deinde uerba eius disciplinæ rectè teneat, qui tractare uolet, quod suæ professionis non sit: deinde ita tractet, ut ad quos scribat, meminerit. aliter enim quum ad doctos, aliter quum ad indoctos scribimus, res uniuersa tractanda est. Videndum est etiam, ut ea quæ traduntur, certo ordine ac ratione tradantur. nam & legentibus iucunda sunt, & discentibus faciliora. Præcepta uerò quanta maxima tradi possunt facilitate, tradenda, ne laboret intelligendo, qui ea seruaturus est. Ne uerò fastidiũ frequentia ipsa moueat præceptorum, in angustum contrahenda, & quasi inculcanda nõ sunt. Exemplis autem crebris utendũ. ea enim, quàm præcepta magis mouent. Neq; ueteribus tantũ, quæ incredibilia uidentur, sed nouis quoq;, recentibusq; utendum.

utendũ. ea enim faciliora nobis existimamus, quæ ab alijs nostra ætate facta cognoscimus. Habet au*tem utrunq; hoc genus cùm in principio ea quæ lectores attentos reddere solent, tum in tota epistola digreßiones quasdam, quibus animi recreari, & quasi renouari ad legendũ poßint, præsertim si longior epistola futura sit. nam quum ipsa perdifficilis, seueraq; sit, habeat extrinsecus aliquid necesse est, quod ad legendũ animos alliciat, & penè attrahat. In hoc autẽ uniuerso genere leuissima ac facillima sunt, quæ de moribus disputant. nam & latißimè patent, atq; ad omnes pertinent, & liberius tractari possunt. quippe quæ uerbis constent usitatioribus, campumq; habeãt ampliorem: in his tamen superior etiam seruanda ratio est.* Ac *de duobus quidem illis generibus satis in præsentia dictum sit: quæ quoniam & ad alias magis disciplinas pertinebant, et præceptionem communem habebant, coniunctè mihi tractanda esse censui.* Nunc *ad alia singillatim genera descendemus.*

De negotioso, siue actiuo epistolarum genere. Cap. XIIII.

Sequitur id genus, quod in negotijs positũ esse diximus: quod uel actiuum, uel negotiosum appellari licet. Id *in duo potißimum tempora distribuitur:*

tur: præteritum & futurum. nam præsentia ita tractantur, ut partim præteritis, partim futuris coniuncta sint. In præterito quidem tempore negotia omnia ita tractamus, ut aut quemadmodũ gesta sunt narremus, aut laudemus, aut uitupere mus, aut de his gratias agamus, aut gratulemur, aut in his aliquid accusemus, aut defendamus, siue excusemus. In futuro res aut certas, aut incertas scribimus. Certas quidem aut imperamus, aut suademus, aut dissuademus, aut cõmendamus, aut petimus, aut quæ his cõtraria sunt facimus. Incertas uerò aut deliberamus, aut optamus, aut prædicimus, aut coniectura opinamur: aut id quod utriq; commune est, in his consiliũ damus. Quod tametsi ad suasionem & dissuasionem referri potest, separatim tamen tractandũ nobis uisum est. atq; hæ sunt (ut mihi quidem uidetur) huius generis præcipuæ species. Si quæ præterea sunt, aut his adiungi possunt, aut ab his non sanè multum discrepant. Nos has potißimum repetentes singillatim tractemus, & quæ unicuiq; præcepta conueniunt, paucis explicemus.

De narratiua epistola. Cap. XV.

Igitur quum negotium aliquod per epistolã narrandum est, ante omnia cur id narretur, considerare debemus: ut fine perspecto, ad eum omnis nostra narratio dirigatur. nam si ex ea cognitio

tantum rei, & notitia quæritur, ita res primùm proponenda est, lectorisq; animus in expectationem adducendus, ut si id petierit ad se perscribi, sciat nos sibi diligenter, accurateq; satisfacere: si non petierit, nos cupidum rei cognoscendæ faciamus, ut intelligat nos etiam absentes ea quæ scire is uelle debeat, ultro cogitare atq; afferre. deinde ita narrāda res est, ut nihil omittamus de ijs quæ legenti aut cognitionem, aut delectationē poßint afferre. Neq; *cum ipsa narratione finiēda epistola est, ne inanis & frustra suscepta narratio uideatur: sed aut eius causa breuiter exponenda est, aut ad aliquam uitæ partem accommodanda, aut inuicē aliquid ab eo ad quem scripsimus, exigendum. Si delectationis causa narratio suscepta sit, et omnia quæ id facere possunt, exequenda sunt, & lectoris animus nunc rerū uarietate, nunc iucundis digreßionibus detinendus est. Omnia uerò lepidius urbaniusq; narranda. Claudēda uerò epistola uel aliqua iucunda, acutaq; sententia: uel similium nunc rerum pollicitatione, nunc expectatione. Si nostræ uel amicorū res domesticæ, familiaresq; narrentur, simplicē nudamq; narrationē, sermoniq; simillimā esse oportet.* Nusquā *liberior ac solutior epistola est. Licet exordiū uel adhibere, uel omittere: licet plura negotia nullo seruato ordine narrare: licet ab uno in aliud quàm*

longè

longè uolumus digredi, atq; ad idem sæpius reuerti: licet seria iocis, iocos serijs immiscere. Sermo familiaris & quotidianus esse debet. Finem epistolæ finis negotiorū affert. Neq; epilogis, aut transitionibus, aut occupationibus, aut ullo genere artificij opus est. Deniq; summum artificium in hoc genere est, ut nullo artificio utamur: ut extemporalis epistola, non excogitata uideatur. Quod tametsi tabellarijs ultro exigentibus fieri necesse est, tamen etiamsi nulla nos aut temporis, aut hominis necessitas cogeret, esset illa in stylo extemporalitas effingenda. Qua de re non defuerunt, qui dicerent epistolam redolere incuriam quandam, & negligentiam oportere. Si uerò partim gesta, partim gerēda negotia exponemus, ita narrabimus quæ gesta erunt, ut ex ijs facile, quæ gerenda erunt, intelligantur, ita ut non solum præterita et præsentia exponamus, sed futura etiam coniecturis quodammodo significemus: tum quid uel ipsi ab amico petamus, uel illi faciendum arbitremur, paucis aperiamus. quid in quaque re aut boni, aut mali sit, breuiter declaremus. Postremò, quæ in nostra libertate sunt, liberaliter polliceamur. Atque his potissimum rationibus, quum exponenda erunt negotia, exponemus.

De

De laudandi & uituperandi genere. Cap. XVI.

Proxima est laudandi & uituperandi ratio. Ea quoniam ex iisdem partibus sumitur, locis tantum in contrariā partem cōmutatis, ut suprà feci mus, à nobis coniunctim tractabitur. Igitur quū hæc omnis ratio in res atq; personas conferatur, duo in primis considerāda sunt: quem laudamus, utrū eum ad quē scribimus, an alium quempiā: et qua de causa, utrū cōmendandi, an gratias agendi, an aliquid impetrandi, an hominis conciliandi gratia. plurimū enim refert tū persona, tū causa. Eadem in uituperando sequenda est ratio. Aliter enim eum ipsum ad quē scribimus, uituperamus, aliter de alio ad eum scribimus. Multæ item sunt uituperādi causæ, ut maledictis respondeamus, ut iniurias ulciscamur, ut uitia detestemur: aliæq; permultæ, quarum in scribendo delectus habendus est. Igitur si eum ipsum ad quē scribimus, laudare constituerimus, siue id hominis conciliandi, siue aliquid impetrandi, siue, ut hodie fit, uolumē aliquod dedicandi gratia, faciamus, principium aliunde sumemus: dabimusq; operam, ne ille propterea nos scribere credat, ut laudemus. Nihil enim (ut mihi quidem uidetur) absurdius, atq; oratoris officio alienius, quàm quum nos tantum laudandi gratia uel dicere, uel scribere profitemur.

Assenta-

Assentatores enim euestigio, non laudatores existimamur: nostraq; scripta leuißima ab omnibus, & uanißima iudicantur. quippe quæ placendi studio conficta, nihil ueri, rectiq; contineant. Hoc *uitium effugere qui uolet (omnes autem uelle debemus) dabit operam, ut per insinuationem eius ad quem scribit, laudes ingrediatur. id autem commodißimè faciet, si ab alterius egregiè factis, aut dictis incipiat: item si ab aliqua sententia, quæ nos ad uirtutis admirationem, inuestigationem, testificationemq; excitet, principium sumat: item si dicat, se admiratione quadam & splendore illius commotum, contemplari ea, non laudare uelle, magisq; ut alij cognoscant atq; imitentur, quàm ut ille res suas legat, ea scribere.* Neq; *uerò placet illud, quod est in tertio libro ad* Herennium *scriptum, ut dicamus id nos ex officio facere, quod causa neceßitudinis intercedat. Officium enim dictis in utranq; partem omnibus, fidem & autoritatem detrahit.* Nam *si laudamus, uel amori, uel meritis id tribuere existimamur: si uituperamus, uel odij, uel iniuriæ gratia facere id credimur.* I*mò in utranq; partem omnis, meo iudicio, tollenda suspicio est: dandaq; opera, ut aliorũ, non nostra causa laudare quempiam, aut uituperare uideamur. Aristoteles in demonstratiua causa, libera maximè principia esse censet, ita ut etiam à re-*

bus à causa remotißimis exordiri liceat. Quemadmodum Salustius apud nos fecit in Catilinarij, et Iugurthini belli principio. Id ego in dicendo non probo, in scribendo probo: præsertim si rectè, & per quosdã quasi gradus ad causam descẽdamus, ut sequi ea quæ dicimus, nõ trahi: cõiunctaq; esse inter se, nõ consulta uideantur. Laus enim omnis uel admirationis, uel testificationis uim habeat, neque aperta propositione proponatur, necesse est: ne scribere ea tantũ de causa uideamur, neu uenisse in eam mentionẽ, sed incidisse existimemur. Laudãdi uerò ratio ex superiori præceptione petetur, ita tamẽ ut nõ omnia, sed clarißima quæq;, & ad causam nostrã accõmodatißima, nobis sciamus esse deligenda. Digreßionibus tam in laude, quàm in uituperatione crebris utemur, ut et iucũdior laus sit sæpe repetita, & aliud agere uideatur oratio. Amplificationib. itẽ utemur per eos, quos in superiore libro docui, locos cõmunes. Hæ multũ ualent etiã ad eas, quas scribimus, siue laudes, siue uituperationes augendas, & ad legentiũ animos incitandos. Cõclusionib. breuibus, et ad nostrã causam accõmodatis utemur: epilogis raris, ac breuibus, ut scribi epistola, nõ haberi oratio uideatur. Et quoniã unicuiq; laudãdi finis præpositus esse debet (neq; enim ut laudemus, nos tantum ad scribendũ adduci cõuenit) dabimus operã summo

mo studio, ut omnes laudes, omnia dicta, epistolã denique uniuersam ad eũ, quẽ proposuimus, finẽ ac cõmodemus: eò nostras argumentationes tanquã ad signũ aliquod dirigemus. Eadem omnia in uitu peratione spectãda sunt. Causæ uerò eius rei, quo ad fieri poterit, necessaria afferenda, atque in homi nũ animis fundamenta tũ causæ, tũ beneuolentiæ firmißima iaciẽda, ne qua de re nobis suspicio ex oriri poßit, quod ad ea perscribenda uel ira, uel odio, uel inuidia, uel maleuolentia adducti simus: eoque magis id uitandũ est, quòd omnis per se odio sa uituperatio est. Vituperãdi aũt ratio ex laudis præceptione sumetur, locis, ut diximus, cõmutatis, uirtutibusque in finitima uitia detortis. quæ qui dem præceptio quoniã per se facillima est (omnes enim ad uituperãdũ, quàm ad laudãdũ ingeniosio res sumus: & nos in uirtutib. quàm in uitijs osten dendis exerceri malumus) prosequẽda latius uisa nõ est. Illud in utraque ratione præcipiẽdũ, ut nihil impoßibile, nihil incredibile, nihil nõ uerũ, aut cer tè uero quàm simillimũ, proximumque dicamus: ne assentatores, si laudemus: si uituperemus, hostes, aut maledici uideamur. Si laudare extraneã per sonã apud amicũ uelimus, tũc licebit ab officio no stro principiũ sumere, & causas neceßitudinis, si quæ nobis cũ illo intercesserint, cõmemorare. Sũt autẽ causæ neceßitudinis, amor, beneficiũ, honor,

cognatio, affinitas, uicinitas, patria, hospitalitas: item illa, morum, studiorumq́; similitudo, præsertim bonorum. Quæ si aderunt, in principio commemorabimus: si nõ aderunt, dicemus nos studio uirtutis, quo præcipuè teneamur, uel nobilitatis, uel miserationis, uel pietatis, uel alia honesta ac probabili ratione, ad eum laudandum, siue ornandum, siue iuuandum esse adductos: petemusq́; ab amico, ut insignem uirum tum cognoscere, tum complecti uelit: eiusq́; rei fructum illi aliquem, uel studij, uel beneuolentiæ, uel fidei, uel gloriæ, uel utilitatis, uel saltem conscientiæ pollicebimur. Quæ quidem omnia ad commendatitias epistolas plurimum ualebunt. Si uerò rem quampiam laudabimus, ut artem, disciplinam, professionem, uirtutem: danda opera erit, ne id modò studio, quòd ea nos maximè res delectet, facere uideamur: sed si ea res amicum delectet, nos eius delectationi inseruire ostendemus: si non delectet, dignã nos putasse rẽ dicemus, qua eius animus delectetur: paulatimq́; eius fructus atq; utilitates commemorabimus. Ingreßi uerò materiam, eius tractandæ rationem ex ijs quæ suprà scripsimus, repetemus. Finem eius cõueniet eße, ut eam rem uel amemus, uel capessamus, uel frequentemus, uel certè in precio atq; honore habeamus. Ad eum rationes nostras omnes, argumentationesq́; conferemus:

idq́;

idq; exemplorum in primis tum copia, tum claritate confirmabimus. Eadem *in artis, aut uitij alicuius uituperatione, atque execratione sequenda ratio erit, ut eius rei tractationem nos, eius ad quem scribimus gratia, suscepisse uideamur: quòd omnium odio ac detestatione dignam iudicemus. eam deinde ijs rationibus, quibus suprà laudandam esse docuimus, detestabimur: eius damna, detrimenta, incommoda, ignominiã, labem, & perniciem proferemus: quantum deinde hominibus semper nocuerit, quanto in odio semper habita fuerit, plurimis exemplis ostendemus.* Atq; *hæc potißimum in laudandi & uituperandi genere seruanda esse iudicauimus.*

De gratiarum actione. Cap. XVII.

L*audi uerò tum gratiarum actio, tum gratulatio, finitima, & penè coniuncta est.* Vtraq; *enim magna ex parte laudem continet.* Et *gratiarum quidem actio, tametsi non eodẽ semper modo tractatur, habet tamen semper tum accepti beneficij testificationẽ, amplificationemq;: tum aliquam seu uerborum, seu animi, seu rerum remunerationem.* Beneficium *quidem aut à dantis, aut à recipiẽtis persona, aut à re ipsa laudabimus.* A *dantis persona laudabimus beneficiũ, si ostendemus illum non rogatum, non coactum, non deben*

tem, sed ultro, libenter, liberaliterq; cõtulisse. Hoc loco eum à magnificentia, & animi magnitudine laudare poterimus. Si rogatus fuerit, dicere poterimus eũ citius spe atq; opinione fecisse, aut etiã plus quàm rogatus fuerit, dedisse. eius præterea in re præstanda sedulitatem, fidem, studium, laborem, industriam, operam, diligentiam, beneuolentiam, aut horum aliquid cõmendabimus. Plus etiã illum, quàm pollicitus fuerit, præstitisse: aut plus quàm fuerit opus, oneris & laboris nostra causa suscepiße dicemus. Si uerò nostris beneficijs prouocatus, gratiam retulerit, dicemus eum uel plus quàm acceperit, uel melius, uel maius, uel celerius, quàm debuerit, reddidisse. A` nostra persona beneficium laudabimus, si neceßitatem nostram, aut calamitatẽ proferemus: si partes, quas ab animo, uel à natura, uel à fortuna habemus, modestè ac uerecundè cõmemorabimus: easq; dicemus sine illo beneficio nos aut retinere, aut seruare, aut exercere nõ potuisse. Item si nos ei uel affinitate, uel cognatione, uel patria, uel amicitia, uel ordine, uel studio, uel profeßione, uel moribus, uel alia huiusmodi re, quæ adducere hominem ad beneficium in nos collocandum potuerit, cõiunctos esse dicemus. A` re ipsa beneficium laudabimus, si magnum, si insigne, si insperatum, si incredibile, si perpetuum, si utile, si honestum, si laudabile, si oppor-

opportunum, si deniq; iucundum nobis, & gratum tum tempore, tum loco fuisse, ostendemus. Mercedem uerò pollicebimur, siue in eadem, siue in maiore, nunquam in minore, nisi fortè aut rerum numerus, aut indignitas, aut labor beneficium augeat. Si facultas referendæ gratiæ non erit, nos, nostraq; illi perpetuò debere ostẽdemus, animũ præterea, & uoluntatẽ nostrã erga illũ optimam aperiemus. Eum *nos animũ si ostendere aliter non poßumus, dicemus nos eius beneficijs & laudibus prædicandis omni loco, omni tẽpore, omnibus hominib. ostensuros, eoq; pacto beneficia eius cumulatiora, illustrioraq; reddituros.* Neq; *ab re interdũ fuerit, huius gratiæ relationẽ ad* Deũ *bonorũ omniũ largitorẽ, remuneratorẽq; reijcere, ut ipse, qui solus et potest, et solet, meritis illius præmia digna restituat.* Atq; *hoc pro personarũ, quibus gratiæ agentur, qualitate faciendum erit.*

De gratulatione. Cap. XVIII.

Gratulatio quoq; non est à laudandi ratione disiuncta. Nam *& rem, de qua gratalamur, & personam, cui gratulamur, laudemus necesse est.* Neque *hæc eadem semper ratione tractanda est.* Nam *& sola epistolam separatim facit, & cum alijs negotijs sæpe coniungitur.* Item *aliter amico, aliter principi, aliter in re magna, aliter in parua gratulamur.* Seruare *tamen hæc plerunq;*

debemus, primùm, ut lætitiam nostrã & amplißimis uerbis explicemus, & ueram solidamq; esse optimis rationibus doceamus. deinde ut rem, de qua gratulamur, collaudemus: ostendamusq;, si res magna sit, dignam ea re fuisse personam: neq; aliam, cui tantopere res ea conueniret, facile inuentũ iri: neq; minus rei, quàm personæ fuisse prospectum. Si parua res sit, dicemus, eum quidem multo maiora atque ampliora meruisse, sed hunc ad cætera quendam quasi gradum atq; aditum esse. Si restitutio uel fortunæ, uel dignitatis sit, nõ tam amißio deploranda (quanquam poßit ea culpa uel in homines, uel in tempora, uel in fortunam, uel in casum aliquem iurè conferri) quàm restitutio laudibus & lætitia prosequenda, quòd eius uirtutis, dignitatis, nobilitatis, salutis habita tandem ratio sit. lætitiam uerò nostram aut à spe cõfirmabimus, quòd de illo sperasse tum nos, tùm alios multos antè dicamus. aut ab insperato augebimus, quòd rem tantam tam citò, tam prosperè succedere potuisse, tum ob rerum temporumq; difficultatem, tum ob peruersitatem hominum, nunquam putauerimus. Quo loco eius uirtutem, diligentiam, industriam laudabimus. optabimus deinde illi, uel ei rei quam adeptus est, conseruationem: tum cæterarum, aut similium, aut maiorum accessionem. Si magistratus fuerit, tum ad illius

illius rectam, integramq; administrationē cohortabimur, si modò dignitas personæ patietur. sin maior erit persona, quàm ut eam amicè cohortari atq; monere poßimus: scire nos dicemus, eum se optimè atq; integerrimè, & , ut in cæteris solet, in eo magistratu gesturū: magnamq; ex eo uel fidei, uel industriæ, uel diligentiæ, uel integritatis laudem reportaturum. dabimusq; operā, ut quæ facere debet, ea nos facturum esse eum dicamus. Si uerò is sit, quem admonere poßimus, eum fideliter amiceq;, quo pacto se gerere oporteat, admonebimus: dicemusq; eius rei uel gloriam, uel ignominiam non minus ad nos, quàm ad illum, pro nostra amicitia pertinere. Hæc (ut dixi) sunt pro rerum & personarum qualitate seruanda. Apud amicum enim breuius, & familiarius, imò etiam leuius tractanda sunt: dandaq; opera, ut nihil fictum, nihil fucatum, excogitatumq; nihil appareat, sed ut uerè nos gratulari, amiceq; intelligat. Apud principem omnia grauius, uberius, artificiosiusq; agenda, ut se magnifieri à nobis, coliq; cognoscat. Illud tamen in primis obseruandum, ut uel uera gratulatio nostra, uel ab omni certè assentationis suspicione aliena uideatur. sed de his hactenus.

De accusandi genere. Cap. XIX.

Sequitur ex ijs quæ ad præteritũ tempus pertinent, accusandi genus, quod multas in species distribuitur: quas quidẽ ut cõplecti facilius, atq; explicare poßimus, tria potißimũ considerabimus, causam, personam, actionẽ. Causa in crimen, iniuriã, uitiumq; diuiditur. Quicunq; enim à nobis accusandus est, aut deliquerit, aut offenderit, aut errauerit, necesse est. Aliud enim, quod ego quidem sciã, accusationi subiectũ esse non potest. Persona uerò duplex est, rei, & iudicis: quæ nunc eadẽ est, nunc diuersa. Aut enim eum ipsum, ad quẽ scribimus, accusamus, & suæ causæ quasi iudicẽ constituimus: aut aliũ apud aliũ accusamus. Actio quoq; species complures habet. Aut enim quasi apud iudicẽ accusamus, aut quasi apud amicũ expostulamus, aut de iniuria nobis illata cõquerimur: quod etiam pro rerũ personarumq; qualitate diuersis modis facimus. Iam uerò subditos per literas obiurgamus, increpamus, monemus. Quæ quidẽ omnia pro causæ et personæ qualitate non una ratione tractantur. Namq; (ut de causa primùm dicamus) si leue & tolerabile crimen erit, quale est intermisisse scribendi officium, amicitiæ consuetudinem aut leges non seruasse, nõ respondisse amori, aut literis nostris, & quæ similia sunt: primùm cum admiratione quadã id crimen explicabimus, deinde per confutationem omnes ei excusationes

nes

nes auferemus: tũ crimen ipsum augebimus, nosq; id magnifacere ostendemus: nihil deinde à nobis tale commissum esse demonstrabimus, nostrumq; officium cum illius officio comparabimus. Quum autem illum quasi cõuictum nostris argumentis, rationibusq; tenebimus, illum quasi condemnantes mulctabimus, iucundißima mulcta officij in posterum duplicandi, cõsuetudinisq; cumulatius resarciendæ. Si grauius crimen erit, cuius accusare amicum statuerimus, quale esset perfidiæ, doli, insidiarũ, cuius rei ad nos iniuria pertineat, primùm à nostro in eum amore, nostrisq; meritis initium capiemus: nostram in eum fidẽ, studium, beneuolentiã, integritatemq; cõmemorabimus: nullãq; illi perpetrandi criminis causam fuisse ostendemus; deinde crimen ab eo commissum esse docebimus. Et quũ diu illud auxerimus, tũ qua de causa cõmissum, inuestigabimus: causisq; omnibus cõfutatis, quæ illum quoquo modo cõpellere poßent ad faciendũ, aut nullã, aut turpißimã, minimeq; eius dignitati conuenientẽ illi causam fuisse ostendemus. tum quali pœna dignum sit crimen, inquiremus: atq; illum quasi causæ iudicem statuentes, quæremus ab eo, quid ipse de alio iudicaturus fuerit, quo supplicio dignum existimaturus, qua in eũ clemẽtia usurus. Quod si seruare amicũ statuerimus, quàm id sit ab amicitiæ legibus et sanctitate alie-

te alienum, ostendemus: dicemus tamen nos illi libenter ignoscere, modò uelit in posterum abstinere. Atq; hoc loco illum liberius monere, & si personæ qualitas patietur, etiam obiurgare poterimus. Postremò cum amicitiæ quadã quasi instauratione epistolam concludemus. Si crimen ad nos non pertinebit, quũ diu illud auxerimus, detestatiq; fuerimus, satis erit pro nostra amicitia amicum, ut in posterum abstineat, admonere: eiq; infamiã, pericula, pœnas, cæteraq; quæ ad deterrendum hominem ualent, amicè, seuereq; proponere. Si uerò alterius crimen apud principem, uel apud aliquẽ qui indicandi de illo ius habeat, deferemus, exordium ab ingenti beneuolentiæ captatione sumemus. eam tum à nostra, tum illius ad quem scribimus, persona captabimus. Id quomodo faciendum sit, ex superiore libro repetemus. Deinde ad causam pedetentim accedentes, suspicionẽ odij, maledicentiæ, inuidiæ, calumniæq; omnem à nobis remouebimus: imò, si poterimus, amicitiã inter nos intercedere dicemus, officiaq; ultro citroq; collata commemorabimus. His iactis fundamentis, crimen narrabimus: tum pro constitutionis genere, causam nostram argumentis, rationibusq; confirmabimus, confutabimusq; ea, quæ contrà aut dicta essent, aut dici potuissent. deinde petemus ab eo ad quem scribemus, ut hac

de re iudicium faciat: neq; inultum, aut impunitum tantũ scelus patiatur. Tum quid futurũ sit, si hoc impunè facere liceret, ostendemus: remq; omnes per locos amplificabimus. Conclusionibus ad finem, quem nos proposuerimus, accommodatis utemur. Nam si ea de re iudicium futurum sit, epilogo utemur: causaq; confirmata, exaggeratoq; crimine, quid de eo iudicij fieri oporteat, ostendemus: idq; ut fiat, rogabimus. Si de ea iudicium futurũ non sit, crimen ipsum atrocibus uerbis detestabimur: & cum tempore querela, & hominum peruersitate, aut aliqua utili ad bene beateq; uiuendum sententia concludemus epistolam. Atque hæc quidem causa quo pacto tractari debeat, quoniam satis abundeq; superius à nobis dictum est, quæ hìc conueniunt, inde repetantur.

De iniuriarum, uitiorumq; accusatione. Cap. XX.

Si apud amicum de iniuria expostulabimus, initium capiemus à nostræ amicitiæ antiquitate, stabilitate, magnitudine, coniunctione: item à nostris in eum officijs, studijs, à nostra optima constantiq; uoluntate. aut si hic nos uel ætate, uel dignitate anteibit, à nostra in eũ obseruantia, perpetuaq; uoluntate ordiemur: quamq; sit uel indecorum, uel turpe, amicum immeritò offendere, osten-

ostendemus: deinde iniuriam acceptam indignè atrociterq; explicabimus:atq; ab eo ipso profectã esse docebimus. Duplex inde agendi ratio est. *Nam si amicum grauius accusare statuerimus, ostendemus illum tantum gratia offendendi fecisse, quod fecerit, siue ut nobis apertè noceret: quod inimici, non amici animi est: siue ut ipse ex ea re commodum aliquod consequeretur.* Quarum *rerum utranq; ab amicitiæ legibus atq; officijs alienißimã esse demonstrabimus:atq; ad alterutram, siue utranq; rem cõprobandã uim argumentorũ omnẽ cõferemus.* Quod *si is in officio uelit permanere, quò pacto nobis satisfacere poßit interrogabimus, idq; nos maximè expectare dicemus. Sin aliqua ex parte amicũ accusare statuerimus, causam illius iniuriæ causis multis allatis, cõfutatisq; ignorare nos omnino dicemus: neq; tamen existimare nos, illũ nostri offendendi gratia, ut id faceret, adductũ esse, quod esset et ab eius natura, consuetudine, humanitate, et à nostra amicitia, obseruantia, meritis penitus alienũ.* Expectare aũt nos *magnopere dicemus, ut quoquo modo & suæ dignitati, & nostræ amicitiæ satisfaciat.* Quod *si is nos ætate ac dignitate antecedet, quàm indignum sit iuniorẽ à seniori, à potente impotentẽ, ab opulento inopẽ, à maiore deniq; minorẽ offendi, decipi, uexariq;, per locũ communẽ ostendemus: tum*

nostram

nostrã ætatem, impotentiã, inopiam, imbecillitatem, cum illius ætate, potentia, opibus, & robore cõparabimus: deinde nostrã erga omnes innocentiã, mansuetudinẽ, clementiã, benignitatẽq; ostendemus: quamq; indignè nobis, & præter spẽ atq; opinionem accidat, conqueremur. Hic cum locis cõmunibus ad commouendã misericordiã usi fuerimus, rogabimus hominẽ, ut si prodesse aut non uult, aut nõ potest, nocere certè non uelit. Si uitiorum aliquẽ reprehendere, aut accusare statuerimus, quoniã id ferè à superiori in inferiorẽ proficisci solet, uel monendo, uel obiurgando faciendũ erit. Ab hoc tamẽ posteriori semper abstinendũ, quũ superiori uti licet: quũ res grauior est, quàm ut superius illud satis esse poßit, ad posterius cõfugiendũ est. Quũ monere aliquẽ statuerimus, primùm ostendere oportebit, nos eam rẽ, de qua agitur, probè scire: ne ille securius se excuset, quòd à nobis ignorari putet: deinde eius rei admonitionem ad nos potißimum pertinere, uel ætatis, uel amicitiæ, uel sanguinis, uel aliqua iusta eius generis ratione: tum rem ipsam, uti gesta est, atrocius etiam atq; indignius, quàm gesta est, exponemus. Deinde interrogabimus eum, nũ ita res se habeat: num ipse eius rei autor fuerit: num rectè fecerit: num quum id faceret, consilium, prudentiam, aut iudicium adhibuerit: num suæ uel ætatis, uel nobi-

litatis,

litatis, uel dignitatis, uel salutis rationem ullam habuerit. Quum autem uidebitur his uerbis esse commotus, tunc admonitio sequi debebit: ea seuera, grauis, recta, fidelis, & paterni aut fraterni affectus plena sit necesse est, quæ pœnitentiã, aut pudorem facti afferat, desperationẽ nequaquam: neq; minus incitet ad futurorum cupiditatem, ac spem, quàm ad dolorẽ & pœnitentiã præteritorum. Admonebimus autem tum à persona, tum à causa. à persona, quũ ostendemus eum fecisse rem indignam suis maioribus, sua cognatione, patria: aut, si nihil horum habeat, sua ætate, nostra consuetudine, professione, amicitia eorum quibus cũ uiuat. À causa admonebimus, quũ ipsius rei per se indignitatem, fœditatem, abiectionem, uitiaq́; ostendemus: quantumq́; absit à uirtute, & recte facti ratione, atq; honestate, docebimus: tum quid eum fecisse oportuerit, & quanto id facilius, honestius, ac laudabilius futurũ, ostendemus: eumq́; in posterum ab eo uitio deterrebimus, atq; ad uirtutem, & bene uiuendi rationem cohortabimur. Si obiurgabimus aliquẽ, ab ijsdem fere locis personam commouebimus, remq́; exaggerabimus, sed atrocius atq; iratius agemus. anteactam illi uitam cum exprobratione commemorabimus. qualis sit de eo spes in posterum, per irrisionem ostendemus. pœnas ei multiplices impendentes propo

nemus:

nemus: eumq; tum ignominia, tum supplicijs deterrebimus: quantaq; eum incommoda, quanta pericula, quanta à Deo atq; hominibus supplicia maneant, aperiemus. Postremò eum tum à rebus, tum ab hominibus, quibus maximè fretus uiuat, tum etiam à nobis ipsis destitutū iri ostendemus, spemq; illi omnem rerum atq; hominum, quantum fieri poterit, adimemus. Sed hæc materia rarius cadit in epistolam, nisi à patre in liberos proficiscatur. tamen quòd erat cognitu non inutilis, relinquenda non est uisa. Nunc ad defendendi genus transeamus.

De excusandi, siue defendendi genere. Cap. XXI.

Defendendi atq; excusandi eadem, quæ accusandi ratio est. Partes easdem habet, causam, personam, actionē: quæ quoniam inter se ita coniunctæ sunt, ut separari nequeant, coniunctim quoq; à nobis tractabuntur. Omnis igitur causa aut excusatur, ut non facta: aut tanquam facta defenditur. Si culpa omnino carebimus, remq; excusare, ut non factam, apud amicum uoluerimus, ab admiratione eius, qui ita de nobis credat, aut scribat, incipiemus: nostram in eum beneuolentiam, obseruantiam, fidem commemorabimus: anteactam ei uitam in memoriam redigemus: nunquid simile aut de maioribus nostris, aut de nobis ipsis

unquam audierit, interrogabimus. rem deinde à coniecturæ partibus, quas suprà docuimus, ab illisq; præsertim quas ipse ad probandũ attulit, infirmabimus: omniq; ex parte incredibilem, inutilem, incommodam, indignam, difficilem nobis, & si poterimus, etiã impoßibilem reddemus: quæq; is firmißima contra nos argumẽta collocauerit, ea potißimũ aut dissoluemus, aut infirmabimus, aut eludemus: deinde, si poterimus, quis autor eius rei fuerit, uel apertè ostendemus, uel coniecturis significabimus. Id si non poterimus, alios in suspicionem adducemus. Rogabimus postremò, ut omnem de nobis suspicionem abijciat: nostramq; amicitiam in posterum optima spe, multisq; pollicitationibus confirmabimus: rogabimusq; eum, ut animi atque amoris nostri quoduis periculum faciat. Si rem non factam apud superiorem excusabimus, in principio, quantum poterimus, nos in eius beneuolentiam insinuabimus, uereriq; nos dicemus ei quoquo modo aduersari: sed fretos eius humanitate, prudentia, beneuolentia, æquitate, sperare plus apud illum uel nostram innocentiam, uel ipsam per se ueritatem, quàm inuidorum criminationem aut perfidiam, tum fidei, tum autoritatis habiturã: cui nostra in primis uita, consuetudo, & in eum obseruantia nota sit. quarum rerum utilis cõmemoratio erit. Culpam omnẽ in delatores, inuidos, calumniatores, maledicos trãsferemus:

feremus: ab eisq; hanc in nos fabulam uel ex suâ natura, uel ex odiô nostri, uel ex aliquo commodo, quod se consecuturos sperent, uel eius ipsius fallendi gratia confictam esse dicemus: illis eum nullo modo credere oportere. Tum nostram innocentiam probabimus, & ea quæ in superiore excusatione præcepta sunt omnia, sed summißius & circumspectius exequemur: quæq; superius de amicitia diximus, ea in obseruantiam, fidem et uenerationem commutabimus: eademq; clausula epistolam concludemus. Si facta res apud amicum defendenda erit, aut per se rectè facta ostendetur, aut accersita extranea causa cõprobabitur. Si per se rectè factam defendemus, aut iura, aut leges, aut instituta, aut consuetudines, aut rationes, quibus id fieri liceat, afferemus: ostendemusq; nihil à nobis contra officium, contra amicitiam, contra æquitatem, aut contra eius uel salutẽ, uel dignitatem esse factum. quid autẽ factum sit, post breue exordium cum rei extenuatione narrabimus. Exordium aũt tum admirationem eius qui rectè factum uel ignoret, uel accuset, tũ propositionem causæ iustam atq; honestã continebit. Probata autem his, quas modò dixi, rationibus causa, nihil de nostra amicitia propter id minui debere ostendemus: quantiq; nos eum semper fecerimus, atq; in posterum facturi simus, demonstrabimus: rogabimusq; eum, ut amicitiam, beneuolentiam,

fidem, diligentiamq́; nostram omnibus suis in rebus experiatur. Si defensio per se infirma erit, atque adiuncta extraneæ causæ uidebitur indigere, primùm non id factum, quod ille opinetur, dicemus, atq; esse eum uel ab alijs, uel ab ipsa rei specie deceptum ostendemus: deinde quid nos fecerimus, quid factum esse dicatur, alterum extenuando, alterum augendo, exaggerandoq́;, narrabimus: factaq́; utriusq; comparatione, quid hoc ab illo differat, ostendemus. Si facti species mutari non poterit, mutabitur magnitudo, modus, tempus, locus, aut aliquid ex his quæ negotium possunt extenuare. Sin horum quoque nihil mutari poterit, finis saltem mutabitur: ostendemusq́; nos id non eius offendendi gratia suscepisse, neq; fuisse unquam suscepturos, si qua ex parte illum offendi posse suspicati essemus. tum de nostra innocentia, natura, consuetudine, professione, de nostra item amicitia pluribus tum rationibus, tum exemplis agemus: nullamq́; eius offendendi causam fuisse dicemus. Hoc loco assumptiuæ iuridicialis partib. utemur: culpamq́;, ut suprà docuimus, uel in hominẽ, uel in rem quampiam transferemus. Postremò rogabimus, ut nobis ignoscat: omniaq́; in posterum, quæ de amico sperare fas est, de nostra fide, diligentia, beneuolentiaq́; pollicebimur. Si crimen, de quo aliquod iudicium futurum sit, apud superiores defendemus, utemur eadem,

dem, quam modò docuimus, tum distribuendi, tũ defendendi ratione: sed omnia & circumspectius propter personæ dignitatẽ, & uehementius propter rei periculum tractanda sunt. Primùm quidem ea dicenda, quæ beneuolentiã omni ex parte contrahant: deinde, quæ causam nostram omnibus modis probent: postremò, quæ ad ueniam & misericordiam impetrandã sint accommodata: quæ quo'nam modo facienda sint, quoniam superius satis abundeq; dictum est, hoc loco non commemoro. Si uerò nostræ causæ maximè diffidemus, ad deprecationem fugiendum est: eiusq; ad quẽ scribemus, æquitas, mansuetudo, clementiaq; laudanda. Peccatum si extenuari non poßit, planè confitendum, atq; omnis nostra spes in eius clementia, misericordiaq; reponenda. quàm sæpe, & quàm multis uel alij, uel ipse, simili, aut maiori de causa ignouerit, exponendum: quantamq; ei apud Deum, qui etiam hostibus ignosci uoluit, uel apud homines ea clementia sit laudem allatura. Proderit etiam per locum communem de humanæ naturæ imbecillitate & fragilitate disserere. Misericordia postremò, per eos quos suprà docui, communes locos, quoad fieri poterit, est commouenda: omnisq; fides, integritas, probitas, uirtusq; in posterũ promittenda. Atq; in excusandi quidem, & defendendi genere, hæc scribenti seruanda sunt.

De certis & incertis rebus. Cap. XXII.

Et præteriti quidẽ temporis in hunc modũ ratio se habet. Futurũ tum in rebus certis, tũ incertis uersari diximus. Certas res uoco, *quas aut faciendas, aut nõ faciẽdas esse, certa quadã animi sententia iudicamus: ut ea quæ uel principiũ aliquod habent, uel cursu aliquo naturæ, aut consuetudinis, certo quoq; temporis spacio redeunt, et quasi referuntur: ut si apparatum belli uideamus, bellũ futurum esse tanquã certã rem dicimus.* Item *quũ hyemem atq; æstatẽ ex ipso naturæ cursu recurrere singulis annis uideamus, de his quasi de certis rebus loquimur.* Item *quũ annuos* Romæ *creari magistratus longa iam cõsuetudine compertũ habeamus, futura comitia tanquã rem certã expectamus: magistratusq; ante tempus quasi certos statosq; petimus.* Incertas *uerò res appello, quæ neq; principiũ, neq; tempus quo gerantur, certũ habent, sed in spe, aut opinione, aut cõiectura, aut rerũ uoluntatumq; mutatione uniuersæ sunt positæ.* Et *quoniã in utramq; partẽ sine ullo discrimine possunt euenire, iudicia nobis libera nõ relinquũt. huius generis exempla sunt.* Vtrũ *ego anno proximo* Romæ *sim cõmoraturus, utrũ* Venetias, *an aliã* Italiæ *ciuitatẽ petiturus:* Vtrùm *hoc anno* Põtifex *moriturus sit. et quæ sunt generis eiusdẽ, quæ possunt in utramq; partem euenire, ut diximus.*

mus. nos igitur à certis rebus incipientes, species singulas, quantũ necesse uidebitur, percurremus.

De imperandi & prohibendi genere. Cap. XXIII.

In his prima est imperandi ratio, quæ superiorum, aut magistratuũ, aut potestatem aliquã gerentium est. Sed quum illi per alios ut plurimum scribant, utrisq; præcepta tradenda sunt. Omnibus igitur, qui per literas aliquid imperaturi aut mandaturi sunt, siue suo, siue alieno nomine id agant, tria potißimũ consideranda sunt, quibus imperetur, quid imperẽt, quomodo imperent. Nam etsi omnibus benignè mansueteq; imperandũ est, (omnes enim humanitati quàm superbiæ libentius obtemperant) ingenuis tamẽ, & generosis animis mansuetius & consideratius imperandũ est: sponte enim quæ agenda sunt, agunt. Retinenda tamẽ est semper maiestas imperantis, ne cui præest, subesse: aut quem cogere potest, rogare uideatur. In hoc genere aut nullo, aut quàm breuißimo exordio utendum est. Id, si res postulabit, ad ea quæ facienda sunt, lectorum animos præparabit, rationemq;, qua ipse ad imperandum ductus sit, aut utilitatem exponet. nonnunquã rei magnitudinem, difficultatem, neceßitatem, honestatẽ, laudem, præmiumq; proponet. Id si opus non erit, à narratione incipiet eius rei, de qua imperaturus est. rem autem, quam imperabit, primũ poßibi-

lem oſtendat neceſſe eſt: deinde etiā facilē, aut certè non difficilem: honeſtam præterea & utilem, non ei qui imperat ſolum, ſed ei quoq; qui imperium ſuſtinet: & ſi poterit, etiam neceſſariam. Modum quoq; rei gerendæ, facultatemq; præbeat. Poſtremò, quid ex ea re emolumēti uel laudis ſit uterq; conſecuturus, oſtendat. Mandandi eadem penè quæ imperandi ratio eſt: niſi quòd qui mandat, rogare poteſt: qui imperat, ſi modò imperat, non poteſt. Precum tamē loco adhortationes atq; incitationes ſuccedunt: quæ imperanti nunquam inutiles, ſæpe etiam neceſſariæ ſunt. Præterea qui mādat, familiarius ac lenius: qui imperat, grauius ac ſeuerius agat. Prohibendi quoq; ratio non ſanè ab imperando multum diſcrepat. Quibus enim rationibus imperamus, iiſdem quoque prohibeamus neceſſe eſt. Sed prohibemus aſperius, et præmij loco pœnā, ignominiamq; proponimus. Plus tamē in omni re humanitas & æquitas, quàm ius ullum aut ſeueritas ualet. Sed de hoc toto genere hactenus.

De ſuadendi & diſſuadendi genere. Cap. XXIIII.

Sequitur ſuadendi & diſſuadendi, ſiue hortandi & dehortandi genus, quod in ſcribendo latiſſimè patet, atq; ad res plurimas eſt accommodatū. Nulla enim ferè epiſtola eſt, quæ non aliquam ſuaſionem & diſſuaſionem habeat. Ea cuiuſmodi

esse deberet, aut à quibus locis petenda esset, satis est à nobis in deliberatiuo genere demonstratũ. Quum igitur aliquid nobis per epistolas suadendum aut dissuadendum erit, exordiũ à nostra in quem scribimus, perpetua uoluntate & beneuolentia capiemus: ostẽdemusq; quàm in cæteris rebus nostrum studium perspectũ, probatumq; fuerit. & quàm nos cupidi simus, ut ei fiat aliqua uel uirtutis, uel gloriæ, uel fortunæ, uel dignitatis accessio: nosq; ad id summo studio dare operã, atq; inuigilare dicemus. deinde rem de qua agendum erit, honorificè proponemus, eamq; omni ex parte, ut intelligemus opus esse, laudabimus: aut si dissuadendũ erit, uituperabimus. Tũ eius, si suadebimus, utilitatem, honestatem, gloriamq;: si dissuadebimus, detrimenta, turpitudinem, atq; ignominiam, & quæ sunt superioribus rebus contraria, proferemus. deinde exemplis in utranq; partem utemur multis: tum superiora omnia ad eum ad quẽ scribimus, accõmodabimus. ostendemusq; illum præ cæteris ea quæ diximus, consecuturum: hominemq; multis uerbis ad eam rem cohortãdo incitandoq; inflammabimus, uel ab ea deterrendo ac dehortãdo auertemus. Postremò, si opus esse uidebimus, preces etiam nostras in utranq; partem interponemus: & quàm grata nobis ea res futura sit, omni ex parte declarabimus. Hæc erit meo iudicio, suadendi & dissuadendi ratio in scri

bendo plerunq; seruanda. Mutabit *ex hac fortasse aliquid ratio aut personarum, apud quas non semper eodem modo loqui licet: aut rerum, quæ non semper eo ordine modo'ue tractandæ.* Sed *hæc omnia, quia certis legibus includi non possunt, scriptoris prudentia moderabitur: nos ad cætera genera transeamus.*

De commendandi genere. Cap. XXV.

Proxima *est huic commendandi ratio, quæ quidem & epistolarum propria est(ea enim in alio scribendi genere non utimur) & ab omnibus qui quoquo modo scribũt, frequentissimè usurpatur.* Nemo *enim ferè est, qui uel se, uel alium aliquãdo non commendet.* Itaq; *tam uaria, quàm frequens est.* Pro *personarum enim rerumq; qualitate aliter atq; aliter ab omnibus tractatur.* Personæ *in hoc genere duæ potissimum considerantur: eius qui commendatur, & eius cui commendatur.* Aliter *enim nos ipsos, aut liberos nostros, aliter familiares atq; amicos, aliter hospites & incognitos commendamus.* Magna *præterea doctrinæ, uirtutis, dignitatis, professionis, nobilitatis, fortunæ, cæterarumq; rerum in commendatione habenda ratio est: ut non eodem modo doctum et indoctũ, sacrum ac profanum, magistratum, aut dignitatẽ aliquam gerentem, ac priuatũ: item diuitem atq; inopem, liberum ac seruum, nobilem atq; ignobilem commendemus.* Danda *enim opera est, ut de*

unoquoq; couenienter atq; accommodatè loquamur. Eorum quoq; quibus cōmendamus, delectus habendus est: ut non eodē modo principi atq; amico, item magistratui, ac priuato rem quampiam aut hominē commendemus. Cum amico enim & priuato homine agere utcunq; iure amicitiæ & fortunæ possumus: Principi uerò & magistratui neq; omnes, aut omnia cōmendare, neq; sine summa æquitate aut necessitate, fas est. Cū amico præterea liberius omnia loqui licet: cum principe & magistratu, etiamsi nobis ille amicissimus sit, non licet. Habenda est enim ratio eius quā obtinet dignitatis, omniáq; apud eum grauiter seuereq; agenda. Rerum quoq; non mediocris habenda ratio est. Et primum quidem nō nisi iusta, aut honesta, aut necessaria cōmendatio suscipienda est. deinde uidendū, ut res sit eius cui cōmendatur digni tati, facultati, naturæq; accōmodata. quæ quidē ut cognoscere planè possimus, ante omnia eius quē commendare uolumus, tum rei, tum personæ habenda cognitio est, ne aut iniustā causam pro iusta, aut pro bono uiro pessimū commendemus. Commendatio autē omnis in duas potissimū partes consumitur, in laudem & suasionem. Nam & dignam nostra commendatione eam, de qua scribimus, uel causam, uel personā ostendamus: & ei ad quem scribimus, quod uolumus, suadeamus necesse est. Et quanquam tam uaria est, ut diximus, commendandi ratio, ut præcipi in ea proprij, aut

certi nihil posse uideatur: hæc tamẽ in omni ferè commendatione seruanda esse uideo: primùm, ut causas quæ nos ad cõmendandum duxerint, ostendamus: deinde rem ipsam breuiter explicemus: tum ei poßibilẽ, facilẽ, commodã, utilẽ, honestã, laudabilemq́; reddamus. deinde rationes afferamus, quibus ille ad id faciendũ adduci debeat. tum cohortationes & preces adiungamus: &, si necesse uidebitur, misericordiã commoueamus. Postremò aliquod ei præmiũ proponamus: deniq; alijs cum precibus epistolã concludamus. Quæ omnia quo pacto facienda sint, quanquã ex superiorib. præceptis magna ex parte colligi potest: tamen quoniã hæc adolescẽtibus scribimus, ut cognitu faciliora sint, paulo altius explicabo. Causam commendationis uel à nostra, uel ab eius quẽ cõmendamus, uel ab eius ad quẽ scribimus, persona sumamus necesse est. A nostra, quũ nos eius quẽ cõmendamus, neceßitudine, familiaritate, cognatione, officijs adductos esse dicamus. Ab eius quem commendamus, persona causas sumimus, cũ eius probitatem, uirtutem, doctrinam, nobilitatem, inopiam, calamitatem, aut neceßitatẽ aliquam uel à natura, uel à fortuna profectã commemoramus: à natura, ut corporis totius, uel mẽbri alicuius imbecillitatem, item ætatis aut sexus infirmitatem, aut rerum omniũ ignorantiã: à fortuna, ut membrorum, aut liberorum, aut rei familiaris, aut libertatis,

bertatis, aut cæterarũ rerum nobis chariſsimarũ amiſsionem. Ab eius ad quem ſcribimus, perſona cauſam ſumimus, quum eius naturam, humanitatem, uirtutem, beneuolentiam & ſtudium in omnes bonos: item quum benemerendi de omnibus conſuetudinem, cupiditatemq;: quum uel noſtrã amicitiam, uel eius dignitatem, opes, copias, autoritatem, magiſtratumq; cõmemorabimus. Atq; in has ferè cauſas exordiũ conſumitur. danda tamen opera eſt, ut pluris eum ad quem ſcribimus, quàm eum quem cõmendamus, facere uideamur, ne ille aut obtundi à nobis, aut defatigari, aut par uipendi, aut impediri putet, quo minus officium & magiſtratus rectè atque ex ſententia adminiſtret: plusq; nos illi tribuere, quàm aut ei quẽ commendamus, aut nobis ipſis, maioriq; nobis curæ dignitatem ſuam eſſe, quàm amici neceſsitatem oſtendamus. Atq; hæc potiſsimum in exordio facienda ſunt copioſius, aut breuius, item accuratius aut remiſsius, pro rerum perſonarumq; qualitate. Narrandi ſuadendiq; rationem ex ſuperioribus repetemus. Rationes, quibus ille ad rem quam uolumus faciendam adduci debeat, ab iiſdem locis ſumemus, à quibus cauſas cõmendationis ſumendas eſſe demonſtrauimus. Sed uidendũ erit, ne eaſdem ſæpius, aut eodem modo repetamus. In exordio enim ad nos, hic ad illum omnia referenda ſunt: ut oſtẽdamus eum uel noſtra, uel

eius quem commendamus, uel sua ipsius causa moueri oportere. Preces atq; adhortationes ex communibus amplificationis locis, item misericordiæ commouendæ rationem ex superioris uoluminis præceptione repetemus. Præmij proponendi ratio ab iisdẽ omnibus, quas modò dixi, personis petenda est: à nostra quidẽ, si nos eius beneficij gratos, memoresq́; futuros esse promiserimus: si beneuolentiæ, obseruantiæ, & obligationis, aut etiã seruitutis incrementũ pollicebimur: si in suis atq; amicorum rebus omnem operam, studiũ, industriam, diligentiãq; adhibituros nos esse dixerimus: deniq; si certũ aliquod præmij genus offeremus, quod nostra eiusq; persona dignum uideatur. Ab eius quem cõmendabimus, persona præmiũ offeremus, si eadem ferè de eo quæ de nobis promittemus. Item si ostendemus eum ob suas uirtutes dignum eius, cui cõmendabitur, notitia, beneuolentia, familiaritate, beneficijs, gratia, consuetudine, domo, coniunctione, & cæteris rebus quæ hominem homini conciliare possunt. Ab eius ad quem scribimus, persona præmium offeremus, si ei gloriam, famam, existimationẽ, autoritatẽ, immortalitatem, beatitudinem, aut si cætera omnia desint, conscientiam rectè factorũ, qui bono uiro fructus est maximus, proponemus. hæc uerò non omnib: omnia, sed ut cuiq; maximè conueniunt, ita maximè proponenda sunt. ac de commendandi quidẽ

genere hæc in præsentia dicta sufficiant. Cætera ingeniorum uarietas & prudentia excogitabit.

De petendi, concedendi, & negandi genere. Cap. XXVI.

Commendationi finitima, & penè coniuncta petitio est. Altera enim alterius auxilio maximè eget. Nam & cōmendatione petimus, & in petitione sæpe commendamus: sed quoniam utraq; locos habet peculiares, ac suos, tractanda mihi separatim est uisa. Igitur ad quemcunq; scripta sit petitio, exordium aliquod habeat necesse est: id causæ maximè coniunctum, reiq; quam petimus, accommodatū esse debebit. In eo personam ad quā scribimus, nobis conciliare omnibus modis studebimus. Id à nostra persona faciemus, si nostram beneuolentiam, obseruantiam, seruitutem, officia pro personarū qualitate commemorabimus. Ab eius ad quē scribimus, persona: si eius in nos, & in omnes bonos beneuolentiā, uoluntatem, merita atq; officia proferremus: si hominem ab illis maximè uirtutib. rebusq; laudabimus, quarū nos maximè indigebimus: ut si dignitates impetrare cupiamus, potentiā eius laudabimus: si opes, liberalitatem: si patrociniū, pietatē, autoritatemq; commemorabimus: eodemq; tempore duo aßequemur. Nam & beneuolum nobis ipsum reddemus, et rei quā petimus, præstandæ facultatē illi esse ostendemus. A re ipsa beneuolentiā captabimus, si honestā, si laudabilē, si dignā, in qua ipse laboret, osten

demus: præterea, si eius studio illum teneri dicemus. Exordium *narratio statim subsequetur eius rei, in qua fundanda petitio est.* Narrabimus *autem ita, ut rem honestam, poßibilem, facilem, opportunam, & quantum possumus, necessariam reddamus.* Huic *petitionẽ subiungemus: quæ, quo ad fieri poterit, breuis atq; attenuata sit, necesse est, ne multa et difficilia petere uideamur.* Danda *itaq; opera est, ut in uno potius uerbo plura, quàm in pluribus unũ petamus. tum, quibus id rationibus facere cõmodißimè poßit, quibus etiã de causis debeat, aperiemus. Causæ autẽ uel à neceßitate, uel ab honestate, uel ab utilitate, uel à laude & gloria, tum à nostra, tum à lectoris persona, tum etiã à rebus ipsis ducendæ sunt: quæ quoniã sunt à nobis superius pluribus uerbis explicatæ, non sunt hic latius repetendæ.* Pollicebimur *ei postremò aliquid loco præmij: cuius offerendi ratio satis à nobis in cõmendatione est posita.* Quoniã *uerò petita per epistolã aut negamus, aut concedimus, de utroq; genere mihi paucis est dicendũ.* Concedẽdi *ratio duplex est. Aut enim facilia, aut difficilia concedimus. si difficilia concedemus, primùm amici petitionẽ exponemus: deinde rei difficultatẽ uel ab ipsius rei natura, uel à nostra facultate demõstrabimus: deinde difficultates omnes superatas à nobis eius causa, ostẽdemus.* Dicemus *nos id uel amicitiæ nostræ, uel eius uirtuti, uel nobilitati, uel*

bilitati, uel neceßitati tribuiſſe. Si præmiũ beneuolentiæ fuerit, id nos cupidè accipere dicemus. ſi debitio gratiæ, non recipiemus: ſed nos magis his, quas modò dixi, partibus omnia debere oſtendemus, noſtrãq; operã omnibus in rebus offeremus: ſuisq; contrà, quum aliqua in re nobis opus fuerit, uſuros nos eſſe dicemus. Si rem facilẽ, aut tanquã facilem cõcedemus, gaudere nos dicemus, ob latam nobis eſſe facultatem ei gratificandi, ſed nõ ſtram in eum uoluntatem aliqua magna in re nos ei oſtendere uehementer cupere. Tum de noſtro in eum animo, de ſua contrà in nos beneuolentia, de uirtutibus, in primisq; de modeſtia, qua in petendo ſit uſus, aliquid dicemus. Deinde rem ipſam ut minimam, facillimamq; concedemus: rogabimusq; hominem, ut noſtra opera frequentius, & maioribus in rebus uti uelit: nosq; idem facturos, quum opus fuerit, oſtendemus: eaq; omnia dicemus, quæ animi noſtri bonitatem, liberalitatemq; oſtendant, ut libentiſsimè, quicquid fecimus, feciße uideamur. Si quid amico negabimus, primùm eius petitionem exponemus: deinde rei difficultatem, tum ab ipſius rei natura, tum à noſtra impotentia, ſiue imbecillitate, tum etiam à loci, temporis, facultatum, inſtrumentorum, & cæterarum rerum culpa proferemus. Rem quoq;, ſi poterimus, ei uel inutilem, uel incommodam, uel indignã eius

persona ostendemus. Rogabimus deinde, ut æquo animo ferre uelit: atq; ita rem negabimus, ut ille per nos non stetisse, quo minus efficeretur, existimet, nostrāq; in eū uoluntatē, beneuolentiā, fidē, diligentiāq;, et præteritorū officiorū exemplo ste stabimur, & in posterū omnib. in rebus cupidissimè pollicebimur: dabimusq; operam, ne quid ex hac negatione nostræ amicitiæ detrahatur. Atq; his ferè modis in scribendo res certæ tractantur.

De cōsultandi genere. Ca. XXVII.

Incertæ uerò res aut nostræ, aut alienæ sunt: nostræ ferè omnes in cōsilio capiendo, petendoq; uersantur. Alienæ magis uariæ, multiplicesq; sunt. In illis enim, ut superius diximus, aut optamus, aut opinamur, aut interpretamur, aut id quod tam certis quàm incertis reb. commune est, consiliū damus. Omnis igitur consultatio (ut à nostris incipiamus) partim talis est, ut sciamus quid nobis agendū sit: partim talis, ut dubitemus, atq; ab alio quæramus. Quū incertæ rei certum nobis cōsiliū propositū erit, uidēdū erit qua de causa id ad amicum scribamus. permagni enim refert, qua de causa quicq; scribatur. Nam si nostri cōsilij rationem ad amicū cōmunicandi tantū gratia perscribemus, si is hoc à nobis petierit, dicemus nos ei satisfacere, aut gratificari uelle: nihilq; esse, quod cum eo de nostris rebus per nostram amicitiam commu-

cõmunicare non debeamus. Si is à nobis nihil petierit, dicemus nihil esse, quod illũ pro mutua nõstra beneuolentia latêre debeat: uictosq; nos illius fide, prudentia, taciturnitate. si secreta res erit, ad eum nostri consilij rationem perscribere statuisse: deinde si res ei penitus ignota fuerit, eam altius repetemus: si nota fuerit, breui narratione in memoriam redigemus. Tum causa posita, quid faciendum constet, quid in deliberatione relinquatur, aperiemus. Deinde, si latè omnia perscribere statuerimus, singulas rationes, quibus ea res nõn facienda esse uidebitur, confutabimus: donec ad eas ueniamus, quibus ipsi, ut hoc consilium caperemus, adducti sumus Deinde consilium explicabimus, idq; rationibus confirmabimus, ut rectè nos deliberasse appareat. Deinde breui epilogo epistolã concludemus: et quid ex ea cõmunicatione uelimus, aperiemus. Si summatim nostrũ cõsiliũ describemus, nulla confutationũ utemur: sed cõsilium tantũ ipsum aperiemus, breuiterq; cõfirmabimus, et sine epilogo concludemus: et quid ex ea cõmunicatione petamus, aperiemus. Si nostrũ cõsilium exponemus, ut amici iudiciũ audiamus, eius fidẽ, prudentiã, ingeniũ, iudiciũ in principio cõmendabimus, resq; ab illo prudenter iudicatas proferemus: et rẽ, de qua capiendũ cõsiliũ est, grauiter proponemus: rogabimusq; hominem, ut di-

ligenter rem cõsideret: attentumq́; his locis, quos in superiore libro exposuimus, faciemus. ostendemusq́; nos nequaquã prudentiæ nostræ iudicioq́; confidere: ideoq́; rem ad eum integram detulisse. deinde causam, ut paulo antè dixi, narrabimus, confutabimus, confirmabimus, nostrumq́; consilium exponemus: tum breui epilogo amici memoria recreata, iudicium eius requiremus: ostendemusq́; quantum ei tribuamus, quantumq́; in eo spei reponamus, dicemusq́; nos consilium nostrũ ex eius iudicio uel executuros, uel omissuros. Si uerò consilium nostrum incitandi ad idem amici gratia perscribemus, ostendemus nos eum monere non audere, prudentiamq́; hominis, iudicium, doctrinam, experientiamq́; laudabimus. sed tamẽ beneuolentia motos nos dicemus, ut quid ipsi uel fecerimus, uel facere constituerimus, conscribamus: ut nostrum consilium cum suo comparet, nostrumq́;, si improbet, reprehendere: si probet, sequi poßit. Si autem à nobis is alio consilio, quod ipsi non probemus, utatur, nosq́; eum in nostram sententiam traducere studeamus, laudabimus in principio prudentiam & sapientiam hominis, dicemusq́; non audere nos, aut eius consilia reprehendere, aut suis nostra præponere: sed tamẽ uim nostri amoris efficere, ut ei nostrum consilium uelimus perscribere, ut quum ipse suum, nostrumq́; habeat,

habeat, utrũ placeat, ſequi poßit. Deinde rem, ſi opus erit, narrabimus: ſi non erit, omni ex parte confutabimus, ita ut nulla ex parte conſilium eius procedere poſſe uideatur. Tum noſtrum conſilium exponemus, multisq; id rationibus confirmabimus: & quid inde boni ſequatur, & mali declinetur, aperiemus. Tum ad id paulatim hominem alliciemus, cohortabimurq;: & quid inde cõſecuturus ſit, multis uerbis colligemus. Quanquam aũt hæc præceptio exiſtimari poßit magis ad alienas res, quàm ad noſtras res, potiusq; ad dandi, quàm ad capiendi conſilij rationem pertinere: tamen quoniam noſtri conſilij continet expoſitionem, in eaq; magna ex parte uerſatur epiſtola, hoc potißimum loco tractanda mihi eſt uiſa. Sed redeo ad incœptum. Quum conſultatio talis erit, ut quid facturi ſimus, omnino dubitemus, conſiliumq; ab amico requiramus, eius in principio prudentiam, fidem, probitatem, cæterasq; partes commendabimus, quæ ad conſilij dandi rationem pertinere uidebũtur: dicemusq; et quo pacto ipſe alijs conſulere ſoleat, & quantum nos in eius conſilio ſpei, fideiq; repoſitum habeamus, quantũq; in omni re homini ſemper tribuerimus: deinde, quanti momenti ea res ſit, de qua conſilium petimus, exponemus: attentumq; ad eam cognoſcendam, conſiderandamq; reddemus. Deinde rem de-

lucidè, breuiterq́; narrabimus, omnesq́; causæ partes, & quasi latebras, ut inde consiliũ elici poßit, reserabimus. Tum ea cõsilia, quæ capi posse uidebuntur, per cõfutationẽ excludemus, remq́; ipsam omni ex parte ambiguã, difficilẽq́; reddemus, ita ut quemadmodum in superiori consultatione, tanquam in comœdia, certa omnia & parata relinquebamus: nũc incerta atq; implicita omnia, tanquam in fine tragœdiæ relinquamus. Rogabimus deinde amicum, & per res ei charißimas, ùt per deum, per suam fidem, per nostram amicitiã obtestabimur, ut rectè nobis & fideliter consulat, nostræq́; huic uel sollicitudini, uel curæ, uel dignitati, uel saluti subueniat. Quantum momenti sit in consilio capiendo ad res uel bene uel malè gerendas, ostendemus. Postremò, quantum illi debituri simus, quantiq́; hoc cõsiliũ facturi, declarabimus, nosq́; illi uicißim & nostra omnia singillatim polbimur. Atq; hæc ferè in nostris reb. seruãda sunt.

De optandi ratione. Cap. XXVIII.

In alienis porrò, quæ futuræ, incertæq́; sint, uariè afficimur. Sed (quod ad hũc locum spectat) in primis optamus. Optandi autem ratio duplex est. Aut enim rem quampiam optamus, ut opes, dignitates, ualetudinem, uitam: aut in re, quæ parta iam sit, aliquid euenire cupimus, ut in opibus con

seruationem, incrementum, usum: in dignitatibus gloriam, honorem, autoritatē: in uita tranquillitatem, lætitiam, felicitatē, & quæ in cæteris rebus optari solent. Atq; in priori quidem genere ante omnia uidendum est, ut boni aliquid optemus, ne ei cui optamus, aut noceat, aut certè non prosit: quale esset, si auaro pecuniæ magnitudinem, aut furioso insaniæ materiam optaremus. Deinde, ut id quod optamus, poßibile & uerisimile sit, ne aut non sacerdoti pontificatum, aut priuato homini summum imperium optemus: quæ quidem tametsi fieri quoquo modo poßunt, tamen quoniam ijs ordo rerum humanarum, cursusq; repugnat, ut à uero longißimè absunt, ita debent à boni uiri tum animo, tum scriptis abesse quàm plurimum. Danda præterea opera est, ut non uerisimilia modo, sed conuenientia etiam personis optemus: ut ciui in sua patria magistratus, principi regnum, pontificatum maximum episcopo: quæ nō solū esse possunt, sed frequenter quoq; eueniunt. In primis uerò in optando modesti esse debemus, ne blandiri magis, quàm optare uideamur. Gratißimum autem fecerimus, si ut cuiq; aliquid maximè cordi est, ita id illi optabimus. Nobis tamen in optando grauitas est, & prudentia retinenda: ut si quis falsa de se persuaserit, nos illi continuò uana optemus, hominemq; in falsa de se per-

ſuaſione confirmemus, et ſpe uana impleamus. In poſteriori genere & eadem honeſti, poßibilis, ueriſimilis, & congrui ratio ſeruanda eſt: & precationes illæ partim ex ipſarum rerum natura, partim ex uirtutum officijs, & bene beateq; uiuendi ratione ducendæ ſunt. Ex ipſarum rerũ natura, ut quum opes ad uſum, non ad poſſeßionem optantur: quum magiſtratus ad publicam utilitatem, non ad eorum qui illos gerunt, cupiditates explendas bonis ciuibus optantur. Ex uirtutum officijs, & bene uiuendi ratione ducimus precationes, quum opes ad liberalitatem, magiſtratus ad iuſtitiam, dignitates ad uirtutem quampiã exercendam, ſiue ad gloriam, aut beatitudinem comparandam optamus. Atq; hæ potißimum noſtris precationibus ſubijci rationes debent. fruſtra enim optamus, niſi rationes quoq; noſtrorum uotorum ſubiungamus. Precationibus autem cohortationes adiungi debent, ne optare tantum eius rei, quam uolumus, euentum, ſed iuuare quoque amicũ ad eam rem conſequendã, & manuducere quodammodo uideamur. Hoc aũt genus rarò epiſtolam per ſe facit: ſed aut gratiarum actioni, aut gratulationi, aut laudi, aut alijs generibus adiungi, atq; admiſceri ſolet. tamen ſi quando accidat, ut hac ſolum de cauſa ſcribere uelimus, ſi qua de re certa ſpes, aut opinio erit, dicemus nos ea de re

audisse aliquid: ut, proximis comitijs eum Prætorem, Pontificem'ue creandum. Quo loco, quàm gratum id nobis, si euenerit, futurum sit, tum ab eius, tum à nostra persona, tum à re ipsa ostendemus: ab eius persona, si eius uirtuti, dignitati, nobilitati, meritis consultum iri dicemus: si quæ eum dignitas, autoritas, gloria, item quæ opes, copiæ, facultates, quæ deniq; rerum omniũ actiones consequentur, indicabimus: à nostra persona, si quæ utilitas, dignitas, lætitia, fortunæ, dignitatis'ue accessio sit inde consecutura, demonstrabimus: à re ipsa, si tum demum rectè administrandam, curandamq; ostendemus: si dicemus rem illam tali uiro indigere, neq; tam uiro quàm rei consultum iri. Quæ quum fecerimus, optabimus, ut ita ueniat: rationesq;, quas superius docui, subiungemus. tũ hominem hortabimur, rogabimusq;, ut spem atque expectationem tum nostram, tum eorum per quos dignitatem, aut rem illam consecuturus est, tum cæterorum omnium non modò non frustretur, uerumetiam augeat atq; accumulet. Quòd si nulla certa res uotis nostris erat præposita, eum initio laudabimus ab his potissimũ partibus, quæ consentaneæ uidebuntur ei rei, quam illi optare uolumus: ut si magistratum optauerimus, ab iustitia & integritate laudemus: si sacerdotium, à uitæ, morumq; probitate, à religione, & cæte-

 ris

ris eiusdē generis rebus: deinde ostendemus, quid meruerint, atq; illi uirtutū et uitæ præmia digna optabimus: neq; optabimus solū, sed spem quoque eadem de re ostendemus; tum ob cognitam omnibus eius uirtutem, & probitatem: tum ob tempo rum principūq; naturā: tum ob alias causas, quæ in unaquaq; persona excogitari possunt. Hortabimur *postremò eū, & rogabimus, ut ab eo uitæ instituto non discedat.* Nam *& satis magnū præmium rectè factorum in præsentia conscientiam esse, & in posterum à Deo omni spe aut cogitatione maius atq; augustius expectari.* Ac *si quando separatim est per epistolam optandum, hac ratione, meo iudicio, optandum est: sin uota nostra cum laude, aut gratulatione coniungemus, hæc eadem ferè, sed breuius, contractiusq; seruabimus.* Sed *de optandi ratione hactenus.*

De prædicendi, interpretandi, opinandiq; ratione. Cap. XXIX.

Illa *quoq;, prædicere, cōijcere, interpretari, et si qua sunt alia eius generis, quæ in opinione posita sunt, quanq̄ rarò per se epistolā, aut aliud scribendi genus faciunt, possuntq; epistolarū magis loci quàm genera uocari, tamē & quoniā possunt aliquando per se epistolā facere, & habent sub se (ut docebimus) alios atque alios locos, separatim mihi breui-*

breuiter tractāda uisa sunt. Igitur prædicere qui uolet, siue ille arte aliqua, & scientia, siue ex prudētiæ ratiocinatione prædicat, ante omnia memi nerit se nihil certi, nihil particularis prædicere uel debere, uel posse. Atq; maximū imprudentiæ argumentum est, quum ea quæ uel in hominū uoluntate, uel in uarietate fortunæ tota sita sunt, putat se quispiam aut prudentiæ, aut scientiæ ratione prædicere posse. Itaq; uidendum in primis est, quid poßimus, quid debeamus prædicere. Quū autem ad scribendum accedimus, tria in exordio facienda sunt: proponenda res, de qua dicturi sumus, cum allectione lectorum: quo pacto eam aut prædicere poßimus, aut uelimus, ostendemus: remouenda omnis tum temeritatis, tum diuinationis suspicio, ne aut ea quæ sciri à nobis non possunt, temerè nobis arrogare: aut diuinandi peritiam, quæ ab homine docto & sapiente dißidet plurimum, simulare uelle uideamur. Sed ostendendum, quicquid nos dicimus, amici gratia, & beneuolentiæ magnitudine adductos dicere, ut ille uel tutior in periculis, uel in rebus gerendis consideratior, & prudentior possit esse. Deinde ad causam paulatim accedendum, et partim ex anteactis, partim ex præsentibus futura per similitudinē, et comparationē rationū, quodā quasi digito demonstranda. addendæ singulis rebus probabiles

babiles rationes: addenda signa, argumenta, & cætera omnia, quæ possunt id quod uolumus, aliqua ex parte comprobare. Quòd si discrimẽ aut periculum amico prædicamus, omnia metu augenda sunt: exemplis præterea eorum, quibus idẽ accidit, multis, illustribusq; utendum. His, prout *opus esse uidebitur, suasio, uel dissuasio, uel admonitio subiungenda.* Proxima, *& penè coniuncta prædictioni coniectura est, in qua primùm nos rerum incertitudinem, & ignorationem excusabimus.* Deinde *in eam, quam superius dixi, amici gratiam & beneuolentiam, ea quæ scribimus, referemus.* Nonnunquam *illa* Ciceronis *sententia in exordijs uti poterimus, ut dicamus, illũ præsentiũ quidem rerum uel publicarum, uel domesticarũ habere alios & scriptores, & nuncios: à nobis uerò, quæ in cõiectura posita sunt, quæq; nobis uidentur fore, tanquam ab homine eius amãtißimo & non imprudenter monente, expectare oportere.* Deinde *res, si qua incidit, narranda, coniecturæq; explicandæ, & signis, argumentis, cæterisq; locis, quos in causæ genere docuimus, confirmandæ.* Quo *loco magna tum prudẽtia, tum moderatione utendum, ne quid temerè, aut arroganter, aut inconsideratè, aut imprudenter de rebus personis ue dicamus: ne non tam amici rem agere, quàm damnare aliquem, et in odium adducere uelle*

uelle uideamur. Tum res similibus, atq; exemplis, si opus fuerit, confirmabitur: si periculosa erit, suspicionibus tota respergetur. Deinde omnia ad eum, qui propositus erit, adhortandi, dehortandi, rogandi, aut rem aliquam obtinendi finem accommodabuntur. Eiusdem quoq; generis est interpretatio non quæstionum, quæ ad studiosum illud, & contemplatiuum scribendi genus pertinent, sed negotiorum: quum aliqua signa rerum futurarum uidemus, quæ dubios atque ancipites rerum euentus faciunt: ut quum uel hominum uoluntates, uel actiones aliquæ, uel sententiæ ita dubiæ atq; obscuræ sunt, ut in utranq; partem accipi poßint. Quæ quum inciderint, ut amici gratia interpretaturi simus, primùm quidem de ea re, siue persona in uniuersum differemus: & quid in ea boni, quid mali cognoscamus, ex ipsius natura, & consuetudine ostendemus. ut si quis taciturnus sit natura, & nobis de amici causa breuiter, obscureq; responderit: id nos non superbiæ, aut iracundiæ, aut malæ in nos uoluntati, sed naturæ tribuemus. item si qua res ob difficultatem, aut ob naturam sui generis, tardius quàm uolumus expediatur, id nos, quum ad amicum scribemus, non odio personarum, aut rei tædio, sed ipsius naturæ, difficultatiq; tribuemus. omnia uerò in meliorem partem semper interpretabimur, ne ami-

cum

cum in discrimen, aut desperationem adducamus. Quod si quid in peius interpretari necesse sit, quoad fieri poterit, bono animo amicum esse iubebimus, nostramq; illi fidem, operam & diligentiam pollicebimur. Si autem incerta sint omnia, ut neq; coniectura, neq; interpretatione aliquid cõsequi facile sit, de toto rerum aut personarum genere in uniuersum disputabimus: & quid in similibus rebus euenerit, aut quid aliæ personæ in ijsdem rebus, aut quid in alijs eædem personæ fecerint, ostendemus: &, quantum licebit, per similitudines, aut comparationes idem fore argumentabimur. Tum quid inde euenire poßit, omni ex parte considerabimus: & quid nobis faciendum, aut quo pacto cuiq; parti occurrendum uideatur, quantũ opinione aßequi poterimus, ostendemus: ad eamq; rem nos, nostraq; omnia, ut suprà docuimus, offeremus. De ijs quidem quæ in coniectura & opinione posita sunt, hæc mihi præcipi uidentur posse. Cætera tum ætas, tum doctrina, tũ prudentia (optima rerũ omniũ, actionũq; magistra) facile ad scribendi rationẽ accommodabit.

De cõsilij dandi ratione. C. XXX.

Reliqua est ex hoc uniuerso genere dandi consilij ratio tam certis quàm incertis rebus communis: quæ quidem tametsi cũ suadendi & dissuadendi ratione coniuncta est, tamen quoniã aliã quandam

dam in ſcribendo rationẽ habet, diuerſaq; præce- ptione continetur, conſulto à nobis in hunc locũ, ut ſeparatim tractaretur, dilata eſt. Conſtat igi- tur hæc quidẽ tota ratio ſuaſione, & diſſuaſione: ſed habet differentias plurimas. Plurimũ enim re fert, ſponte an requiſiti, in re certa an incerta, itẽ integra an inchoata, conſiliũ demus. Multa etiam ſunt perſonarũ diſcrimina. Neq; enim eodẽ modo ſuperiori, atq; æquali, aut inferiori conſilium da mus. Atq; hæ differentiæ quũ inter ſe miſcẽtur, cõ mutãturq;, innumerabiles penè uarietates ex ſeſe pariũt. Poſſumus enim ad ſuperiorẽ tum ſponte, tum requiſiti, de rebus nũc certis, nũc incertis, uel integris, uel inchoatis ſcribere. Iiſdẽ apud æqualẽ atq; inferiorẽ differentijs uti poſſumus: quas qui- dẽ omnes perſequi & infinitũ, & ſuperuacuũ eſ- ſet. Nos quæ omnibus maximè communia præ- cepta iudicabimus, ea potiſſimum perſequemur: cætera ſcribentium ingenijs inuenienda relinque mus. In omni igitur dando conſilio, ſiue id ſpon- te, ſiue requiſiti faciamus, primùm uidendum eſt, ne aut nos temerè alienis rebus ingerere, aut no- ſtræ prudentiæ plus arrogare, quàm æquum ſit, aut aliorum conſilia contemnere, et nobis tantum credi uelle uideamur. Quod quidẽ facile aſſeque- mur, ſi aliorũ prudentiã, iudiciũ, cõſiliũ in princi pio collaudabimus, noſtra omnia extenuabimus.

Item

Item si nos uel eius precibus, uel nostra in eum incredibili beneuolentia, uel magnitudine suorũ erga nos meritorũ, uel aliquo nostro officio adductos, non quidem ad consilium dandum (quòd id fieri à nobis posse non putemus) sed ad nostrã sententiam aut uoluntatẽ declarandam nos esse dicemus. Quo loco pulcherrimæ illæ insinuationes fieri solent, quũ beneuolentiam nostram cum illius sapientia atq; autoritate cõmittimus, & in aliquod quasi certamen, pulcherrima atque honestißima sententiarum colluctatione producimus: et id nunc ab eius prudentia retrahi, nunc à nostra beneuolentia concitari, hinc non audere, hinc cogi nos dicimus: & plurimis uerbis uim nostri amoris, quæ continere se non poßit, excusabimus. Quẽ locum totum pulcherrimè exequitur Cicero, cùm sæpe aliàs, tũ in illis ad M. Marcellũ epistolis. Illud deinde obseruandum est, ut quantum nobis prudentiæ, autoritatisq; detrahimus, tantum fidei atq; amoris addamus: ut si prudenter, aut maturè, aut efficaciter non poßimus, fidelißimè certè illi & amantißimè consulamus. Atque hæc in exordio, in quo summa uis est, plerunq; seruanda sunt: nisi uel ad inferiores, uel ad amicißimos scribamus: quibus cum omnia familiarius agemus ut amicitiæ & personæ ratio postulabit. Exordio, si qua inerit, narratio subiũgenda erit:

da erit: si nulla res erit, quæ narretur, in causam latenter ingrediendum: atq; ita cum exordio causa coniungenda, ut continuari res eadem, nõ alia incipi uideatur. Si in re certa consilium dandum erit, causa primùm tota explicanda: partesq; uniuersæ, quasi latebræ, aperiendæ sunt. Tum quid in ea honestum, quid turpe sit, quid utile, quid inutile, quid deniq; boni, quid mali, oratione peruestigandum ac discutiendum est. Si unicum in ea consilium sit, ad id oratio tota & suasio dirigenda: et quo pacto id optimè atq; honestißimè succedere poßit, ostendendum. Si plura sint cõsilia, optimũ atq; honestißimum quodq; deligendũ: cætera omnia confutanda, ne dubius atq; incertus amici animus relinquatur. Si quando pugnare inter se utilitas atq; honestas uidebuntur, utili semper honesta ratio præponenda: dandaq; opera, ut amicus intelligat, quã ipse rem utilem putet, eam nisi honesta sit, non esse utilem, neq; posse utilitatem ab honestate separari, sed specie atque ignoratione boni homines decipi, atq; adduci ut alterum ab altero separent, quod reuera non poßit. Si autẽ res integra non fuerit, & aliquid sit contra nostram sententiam inchoatũ, maxima uis in confutatione ponenda erit: dandaq; opera, ut id quod inchoatum est, plurima & maxima tum mala, tum inconuenientia consequi, si perficiatur, ostendamus:

*mus:atq; id tum aliorũ,tum nostro,si poterimus, exemplo cõprobandũ erit:et quid uel alij,uel nos ipsi in re simili fecerimus, proponendũ. Magnã enim uim habebunt ea cõsilia,quæ uel nobis ipsis, uel alijs profuisse demõstrabimus.Si uerò res incerta fuerit,uniuersum amici statũ optimè antea cognitũ ante oculos proponemus: atq; hinc quid illi cõueniat,hinc quid fieri poßit,ostendemus. et tunc quidẽ non unũ tantũ illi consiliũ dabimus,ne si id fortè nõ successerit,omni ex parte destitutus sit:sed multa in omnẽ euentũ cõsilia, quasi quædã præsidia,locis ipsis singulis disponemus: ut quocunq; res reciderit,aliquid habeat amicus, quod sequi poßit:omnibusq; indagatis,ac peruestigatis partibus, quid in unaquaq; re boni,uel mali, uel declinetur,uel insurgat,ostẽdemus:nosq; semper ad id,quod antè dixi,honestatis fundamẽtũ,quantũ poterimus,referemus. Sed si omni ex parte incommoda ostendantur,minima quæq; toleranda esse suadebimus. Conclusiones autẽ ex ipso causæ fine assumemus, ut ostendamus,quid ex eo consilio secuturum sit.aut ab officio nostro,beneuolentiaq; ducemus,ut nos testificandi amoris nostri, aut seruandi officij,non dandi consilij gratia, nos ea commemorasse dicamus:nosq; consiliorũ omniũ ministros,effectoresq;,quantũ licebit,præbeamus.*Ac de hoc qdẽ toto genere *satis in præsentia*

dictum

dictũ puto. Quoniã aũt huius uoluminis magnitudo satis creuit, reliqua in proximũ reseruabimus.

LIPPI BRANDOLINI AD REuerendiss. patrem & D. Franciscum Picolmineũ Card. Senensem, De ratione scribendi Liber tertius.

De affectibus. Cap. I.

ABsoluto in libro superiore maximo illo, ac difficillimo docendi genere, sapientissime pater, superest alterũ illud, quod in mouendis affectibus positũ esse diximus. quod quidẽ, et quia late patet, atq; ad omnes pertinet, et quia magnã scriptis omnib. uim atq; autoritatẽ affert, nõ modo cognitione dignissimũ, sed maxime etiã necessarium nobis est usum. Id nos in duo genera partiti sumus: alterum quod ad concitandos, alterum quod ad leniendos, sedandosq; affectus pertineret. De quo quidem toto genere antequam dicere incipio, pauca mihi de affectibus in uniuersum dicenda sunt. Mouere enim affectus non possumus, nisi quid affectus sit, & unde originem habeat, cognoscamus. Id ego nunc, quantum ad nostram hanc institutionem necesse uidebitur, paucis explicabo. Est igitur affectus, uehemens quædam in rem quampiam animi commotio. id Græci πάθος uocant: Ex nostris, qui uerbum de uerbo exprimere

primere conati sunt, paßiones appellauere. Cicero nunc eos morbos, nunc ægritudines, nunc affectiones uocat. Nos *de uerbo magnopere solliciti non sumus, modò constet, id eße uehementem quandam, ut diximus, animi paßionem, & commotionem.* Ea *ex opinione quadam in animos nostros proficiscitur.* Quoniam *autem omnis opinio, aut boni, aut mali est, ut species affectuum duæ sint, una quæ bonum, altera quæ malum quadam opinione concipiat: his nos bonum aut malum, aut præsens, aut futurum, opinari poßumus.* Hæ *duæ species alias rursus totidem ex sese pariunt, quatuorq; omnes efficiunt: quarum duæ bonum, aut præsens aut futurum: duæ malum, sub eadē temporis ratione, respiciunt.* Ac *futuri quidē boni, cupido, siue spes: præsentis, uoluptas, siue lætitia nominatur. mali uerò futuri, metus, siue timor: præsentis, dolor, siue tristitia eße dicitur.* Ex *his uerò quatuor, quasi fontibus, species penè innumerabiles oriuntur: quæ quoniam non huius institutionis sunt, non sunt à nobis omnes hoc loco explicandæ.* Insignes *enim attigisse, satis erit. ex illis certè cognoscentur. Sunt igitur insignes ex eo genere, quæ ad futurum bonum pertinent, amor, cupido, spes, audacia, ira: his contrariæ, quæ ad futurum malum spectant, sunt, odiū, abominatio, desperatio, metus.* Iræ *uerò nullus affectus*

fectus est cõtrarius:propterea quòd illa omnium iniuriarum patiens, siue, ut rectius loquar, non sentiens natura inueniri nequeat. Præsentis boni sola lætitia, mali sola tristitia, seu dolor inuenitur. Quoniam autem hi affectus omnes tum dicendo, tum scribendo uel cõcitari, uel sedari possunt, sed alij frequentius concitandi, alij frequentius sedandi sunt: de singulis nunc, ut necesse uidebitur, differemus: eodemq; tempore, ut breuiores, dilucidioresq; simus, concitandi, sedandiq; rationem persequemur, à prioribus potißimum incipientes.

De amore concitando, & sedando. Cap. II.

Quum autem affectus omnes eiusmodi sint, ut & ad uirtutes, & ad uitia detorqueri poßint, ut amor, qui tum ad studium uirtutis & amicitiæ, tum ad libidinem & impudicitiam applicari potest: & cupiditas, quæ tam honorum, aut pecuniæ, quàm scientiæ, aut religionis, aut optimarum rerum est: ante omnia de ijs concitandis qui ad uitia pertinent, aut de ijs qui ad uirtutem spectant reprimendis, nihil mihi dicendum est omnino. Nam & homines per se satis abundeq; ad uicia procliues sunt, & nos uirtutes docemus, non uitia: sed omnis nostra præceptio tum ad utiles concitandos, tum ad noxios restinguendos est ac-

commodanda. Id autem per communes locos faciendum: nam proprios cuiusque uel affectus, uel materiæ referre infinitum esset. Igitur, ut de amore primùm dicamus, si quem ad amorem cuiusquam uel hominis, uel rei statuerimus allicere, dabimus in principio operam, ut quàm maximam possumus beneuolentiam, fidem, atque autoritatem nobis apud lectorem comparemus. Quæ quidem tametsi in omni persuasione, atque adeò in omni materia facienda sunt, in affectibus tamen mouendis præcipua esse debent. Amicus enim, nisi assentiatur ijs quæ dicuntur, eumq; qui dicat, quodammodo uereatur, non facile mouetur. Ac de beneuolentia quidem comparanda superius satis abundeq; diximus. Fidem comparabimus, si nos eius rei, de qua scribimus, scientiam, aut experientiam habere ostendemus: si nos ab omni adulandi, aut fallendi suspicione liberabimus: nostramq; naturam ab his rebus semper alienißimam, idq; illi exploratum esse, aliquo, si opus erit, exemplo, aut testimonio demonstrabimus. Item, si nostram in eum uoluntatem, beneuolentiam, fidem, si nostra officia, nostram amicitiam commemorabimus: si quantum ei nostra consilia, nostræ admonitiones hactenus profuerint, commemorabimus. Item, si nobis eum semper credidisse, & de nostra fide periculum

culum sæpe fecisse, propterea'q; debere nunc etiam nobis credere ostendemus. Item si rem ipsam à loco, à tempore, magnitudine, occasione, facultatibus, & cæteris locis credibilem faciemus. Autoritatem comparabimus, si honestatem, uirtutem, probitatem, doctrinam, grauitatem, modestiam in scribendo proferemus. Hæc autem omnia tum fidem, tum autoritatem summam nobis apud omnes comparabunt, si nos uel ætas, uel dignitas, uel potentia, uel hominum existimatio, uel nostra doctrina, uel uita commendabit. Hæc quum fecerimus, paulatim ad causam ipsám uel apertius, uel occultius, pro causæ ipsius qualitate descendemus: eiusq; uel dignitatem, uel iucunditatem, uel utilitatem, uel commoda, uel laudem lectori proponemus: nosq; de eius dignitate, salute, commodis, gloria semper sollicitos fuisse, propterea'q; nunc ad eum scribere dicemus. Atque hi in omni penè affectu mouendo (ne eadem sæpius repetenda sint) communes exordiorum loci sunt. Nec tamen omnibus omnes, sed qui maximè necessarij uidebuntur, singulis affectibus sunt accommodandi. Si qui erunt alicuius affectus proprij, suis locis dicentur: nunc ad amorem redeamus. Igitur quoniam amor aut in hominem, aut in rem conferri potest, si amicum attrahere ad ho-

minem quempiam amandũ statuerimus, primum quidem hominẽ illum magnopere cõmendabimus cùm ab alijs partibus, à quibus præ cæteris cõmendari posse uidebitur: tum uerò ab illis, quibus is ad quem scribimus, maximè delectatur. deinde ea persequemur, quibus amor maximè conciliatur, morum, studiorumq́; similitudinem, humanitatẽ, fidem, modestiam, urbanitatem, suauitatẽ consuetudinis, cæterasq́; uirtutes, quæ hominem homini conciliare solent, in quibus materia latißimè patet. Illa quoq; nos ad amandum quempiã sæpenumero incitant, ætas, patria, nobilitas, dignitas, fortuna. Nam & æquales, & ciues, & nobiles, & honore, dignitate, atq; autoritate insignes, & opibus, fortunisq́; affluẽtes, libentius amamus, quàm eos qui cõmune nobiscum omnino nihil habeant, aut nulla in re nobis uel præsidio uel ornamento esse posse uideantur. Itaq; quum hæc, uel omnia, uel magna ex parte illi inesse ostenderimus, utilẽ, honestam, laudabilem, iucundam, stabilem, perpetuamq́; eius amicitiam fore demonstrabimus: atq; in ea re innumerabiles amicitiæ fructus, commoda, ornamẽta, suauitates, uoluptatesq́; afferre poterimus: quas persequi, quũ & latißimè pateant, & ex Lælio Ciceronis facilè disci poßint, necesse non arbitror. Illud nõ omittemus, à quàm multis & magnis uiris sit is de quo loquimur, eorũ amicitia

citia

citia, & familiaritate dignißimus iudicatus, ut eorũ uel exemplo, uel æmulatione, uel opinione ad amandum hominem moueatur. Si ad rei cuiuſpiã amorem incitare ſtatuerimus, eius dignitatẽ, utilitatem, iucunditatem pro rei qualitate explicabimus. Locos cuiuſq; materiæ proprios ex demonſtratiui generis præceptione ſumamus: deinde partes eas, quas modò diximus, ad lectorẽ ipſum accõmodabimus, easq́; modis omnibus expetẽdas eſſe oſtendemus. Deinde quid alij de illa re ſenſerint, quid ipſi ſentiamus, quanto in precio cùm ab alijs, tum à nobis ipſis & olim habita, & nunc habeatur, multis atq; illuſtribus exemplis docere conabimur. Poſtremò quantũ ea res ad illius uel rationes, uel conſilia conferat, quæ ſit ad bene beateq́; uiuendũ uel utilis, uel neceſſaria, demonſtrabimus. Si aũt reuocare amicũ ab indigno aliquo, & turpi amore, aut conſuetudine ſtudebimus, dabimus in principio operã, ut intelligat quàm ſtudioſi ſalutis ac dignitatis eius, quàm ſolliciti ſemper fuerimus, atq; hodie quoq; ſimus: cauſasq́; huius noſtri ſtudij, uel ueterẽ amicitiã, uel clientelã, uel uirtutem, uel nobilitatẽ eius, uel aliã quamuis honeſtam cauſam explicabimus: idq́; ita fuiſſe, aliquo inſigni exemplo aut teſtimonio comprobabimus. Deinde ad cauſam pedetentim accedemus, oſtendemusq́; nos, ut id ſcribamus, neq; odio, neq;

inuidia, neq; tædio, neq; satietate, neq; impruden tia, neq; temeritate, neque ulla malignitate animi esse adductos: sed abundantia quadam beneuolen tiæ, quod illum magnam infamiam, magnum de- trimentum, ac periculũ fugere cupiamus. Deinde *in uniuersum de toto eius turpitudinis, aut amo- ris genere disputabimus: genusq́; ipsum summope re detestabimur.* Tum *ad rem, de qua agitur, ue- niemus: quantumq́; in ea uel obscœnitatis, uel tur pitudinis, uel flagitij sit, quantũ poterimus, ape- riemus.* Deinde *quas partes superius ad amorem conciliandum adduximus, earum contrarias ad reprimendũ adducemus.* Ostendemus *enim, quan ta in re sit turpitudo, quantum detrimentum, quanta pernicies, ignominia, molestia, inconstan tia, quanta præterea sit rerum omnium dißimi- litudo, quanta inæqualitas.* Deinde *quid ex ea re euenire soleat, exemplis ostendemus.* Quid *illi e- uenturum sit, ex aliorum comparatione demon- strabimus.* Postremò *quãtopere cùm ab alijs, tum à nobis ea res semper euitata sit, quantoq́; studio sit ei quoq;, si modò suæ dignitati, salutiq́; consu- lere uelit, euitanda, multis atq; acribus uerbis ape riemus: atq; ita rem in summum odium adduce- mus.* Quemadmodũ *autem amor odio, ita odium amore sedatur.* Contraria *enim contrarijs, ut fri- gus calore, lux tenebris, expelluntur.* Si *cuius autẽ*

odium

odium in nos, aut in alium sedare, et amicos inter se reconciliare statuerimus, primùm quidem odij causas persequemur, easq; fictas, falsas, inanes, paruasq; esse docebimus: & nostram, uel illius de quo agetur, innocentiam ostendemus. Deinde turpe esse dicemus, eum quem amaueris, odisse: quem laudaueris, uituperare: & quale amici indiciū de altero esse debeat, quale illud uideri poßit, ostendemus. Tum quid in odio mali, quid boni in amore sit, quid ex utroq; sequi soleat, aperiemus. Si uerò susceptum odium iure uidebitur, ad misericordiam & clementiam confugiemus; utcunque sit, amicitiam in posterum firmam pollicebimur: ostendemusq; nostrum, uel eius de quo scribimus, amorem in amicum, etiam ipso odij tempore non esse imminutum, nosq;, aut illum in officio semper fuisse, atq; in posterum fore. Ac de amore quidem, & odio, satis.

De cupiditate incitanda. Cap. III.

Amorē cupiditas sequitur ordine, nō præceptionis modo, sed ipsius quoq; naturæ. ita enim à natura cōparatū est, ut id quod bonū esse ducimus, primùm quoquo modo cognoscamus, deinde amemus (amare enim nisi nota nō possumus) tū cupiamus (ea enim quæ amamus, facile cupimus) postea speremus (cupiditas enim assequēdi, spē potiundi erigit) deinde aggredi audeamus. quod nisi suc-

cessurum

cessurũ speraremus, à nobis nunquam fieret. Spes enim potiundi, aggrediundi audaciã ex sese parit. postremò uoti cõpotes, eo quod quæsiuimus, perfruamur: unde lætitia illa gestiens proficiscitur. Igitur, ut ad cupiditatẽ redeamus, ea partim laude, partim uituperatione digna est, ita ut & uirtutum et uiciorum quidam quasi fons existimari queat. Nos enim nunc ad scientiam, uirtutem, gloriam, immortalitatem, beatitudinẽ, & cætera laudabilia studia & ducit, & trahit: nunc ad pecuniæ, honorum & uoluptatum studium, hoc est, ad auariciam, ambitionem, libidinẽ, & cætera uitia humano generi perniciosißima, stimulis quibusdam, & quasi flammis incendit. Si quem igitur ad priorum rerum studium inflammare uoluerimus, superiori præceptione utemur, atq; eas, quas suprà dixi, partes, dignitatem, utilitatem, iucunditatẽ in ea, de qua agetur, re considerabimus. Nam si quempiam ad scientiæ studium incitabimus, ipsius dignitatem tum ab antiquitate, tum ab inuentoribus, tum à subiecto, tum à fine, tum ab his qui eam studio, uel honore, uel præmijs prosecuti sunt, poterimus demonstrare. Vtilitatem ab omnis uitæ ætatisq; institutione, ab omnium artium inuentione, ab omnium rerum tum notitia, tum administratione sumemus. Quæ partes singulæ si diuidantur, atque amplificentur,

maximam

maximam enim argumentorum, materiamq; ad scribendum amplißimam præbebunt. Iucunditas eodem modo ab omni uitæ ac fortunæ genere, & rerum omnium cognitione petetur. Ostendemus præterea cognitionis & scientiæ cupiditatem homini non ab homine, aut casu aliquo, sed ab ipsa rerum omnium parente natura, hoc est ab Deo datam. Exemplis postremò clarorum omnis generis uirorum agemus: lectoremq; ad eorum quos audierit, uiderit, legerit, æmulationē, quantum poterimus, incitabimus. Eadem de omni uirtute ratio erit. Gloriam uirtutum, & rerum gestarum in hac uita præmium esse, oportebit ostendere: eam non ab hominibus tantum, sed à cæteris quoq; animantibus expeti, equorum maximè exemplis comparabimus. Tum quid gloriæ causa homines in omni uita & fortuna gesserint, quæ pericula adierint, quàm multi etiam ultro mortem oppetierint, ostendemus: lectoremq; eorum exemplis & imitatione ad aliquod præclarum facinus inflammabimus. Ad eam rem ingenium, materiam, tempus, opportunitatesq; omnes illi adesse ostendemus. Immortalitatem non ab animalibus tantum, ut gloriam: sed ab inanimatis quoque rebus, ut plantis ac lapidibus expeti, optariq;, docebimus. Omnia enim quantum natura liceat, diuturnitatem, & sui conseruationem affectant.

ctant. Ad eam nos genitos esse, ex intellectus et ra tionis magnitudine, & cæteris animæ partibus demonstrabimus. Posse autē uirtutibus, rebus gestis, & literarum monumentis facillimè comparari, clarorum omnis generis uirorum, quorum memoria sempiterna sit, exemplis ex antiquitate repetitis ostendemus: ad eamq; consequendam lectorē propositis facultatibus incitabimus. Ad beatitudinis cupiditatem tum præsentium miseriarū enumeratio, tum futurorū explicatio lectorem satis abundeq; eriget. Vtrāq; rem, quoniā latißimè patet, neq; huius institutionis est, pro sua quisque prudentia & cognitione tractabit. Ac hæc ad incitandam cupiditatem pertinent.

De contemptione pecuniæ, honorum, gloriæ, & uoluptatis. Cap. IIII.

Sedatur aūt hic affectus, restinguiturq; contrario, ut de amore, odioq; docuimus. Contrarius porrò cupiditati affectus ab alijs contemptio, ab alijs abominatio, ab Aquinate Thoma fuga nuncupatur: quæ quidem ad uiciorū destitutionē maximè pertinet. Habent autē uitia locos tum communes omnibus: tum singulos, & proprios. Communes sunt: nos ad uirtutem, non ad uitia esse natos: animā nostram optimo quoq; habitu imbuendam.

dam, & tanquam pulcherrimum agrum optimis frugibus ac plantis excolendã esse: fruges animæ, uirtutes: uitia, dumos, carduos, herbas esse, quæ non animam solum, sed corpus etiã excrucient, uexent, atq; enecent: uirtutibus præterea honores, dignitates, opes, imperia, nobilitatem, et præmia ingentia comparari: uitijs ignominiã, inopiã, obscuritatem, seruitutem, & sordes sempiternas acquiri: pœnas deniq; & nunc multis modis graues persolui, et post mortem æternas expectari. Alia item multa huius generis excogitari poßunt: quæ si amplificentur, latißimum ad scribendum campum patefacient. Proprij singulorũ uitiorũ loci & innumerabiles sunt, et ad philosophum magis pertinent: nos tamen susceptæ institutionis gratia paucos, atque insignes persequemur. Igitur si pecuniæ cupiditatẽ detestabimur, de usu pecuniæ disputabimus, finemq; eius rei usum, non accumulationem esse docebimus: eum neq; maiorem ex ingenti, neq; ex paruo minorem capi posse ostendemus. Deinde quanta sit in mediocritate, & liberalitate animi alacritas, tranquillitas, securitas: quanta inde commoda tum corporis, tum animi consequamur. Quanta contrà in pecuniæ appetentia solicitudo, quanti labores, pericula, incommoda, iurgia, tormenta subeantur: quammulti ob eam rem seruitutem, cruciatus, mor-

tem'q;

temq; subierint: quàm multorum malorum causa & fomes pecunia sit: quantopere corpus, animumq; effœminet. quàm infinita, insatiabilis, & importuna sit: eam à sapientibus nunquam expetitam, propterea quod & uitiorum, & cupiditatum, & curarum omnium quasi parens sit existimata. Postremò quis eius finis esse possit, indagabimus. quàm multis modis partæ diuitiæ dilabantur. quo pacto ab inuitis relinquantur, ostendemus: ita ut auaro tam defuisse quod habuerit, quàm quod nõ habuerit, doceamus. Si ad honorum aut gloriæ contemptionem impellere quenquam studebimus, primùm ostendemus quanta in ea re comparanda sit difficultas, quantis laboribus, periculis, incommodis, curis, ac molestijs obnoxios nos esse oporteat, quàm grauem, quàm diuturnam, quàm indignam seruitutem subire, quàm turpiter atq; ignominiose agere, quibuscũ uersari, quibus adulari, quibus subijci honoris & gloriæ causa compellamur. Deinde quàm sæpe hæc omnia frustra suscipiamus, quum ea quæ uolumus non consequamur. Atque hæc exemplis eorum docebimus, qui suæ ambitionis pœnas dedere. Deinde quam ea res inanis, fluxaq; sit, tum ab ipsius rei natura, tum ab his à quibus proficiscitur, ostendemus. honor enim per se uana quædam & inanis hominum existimatio,

tio aut confeßio eſt, quæ laudem aut dignitatem, alicui tribuit. Ea *nunc ficta, nunc falſa, nunc uana, nunc etiam inuita eſt, pro eorum qui deferunt mente. alij enim honorem hominibus ſuæ utilitatis gratia tribuunt, quòd inde ſe aliquid conſecuturos ſperent: alij ſui honoris gratia, quòd quum illos ornent, ornari ſe putent: alij falſo quodam, uulgariq; iudicio, quòd illos honorari ab alijs, & apud principes gratioſos eſſe uideant: nonnulli etiam metu, quòd illorum potentiā reformident.* Q*uas cauſas cum omni ex parte indagauerimus, qualis honor ſit, qui ab illis proficiſcitur, oſtendemus.* T*um à quibus honor expectetur, inquiremus: & quàm ſtultum ſit ex imperitæ multitudinis iudicio pendere, demonſtrabimus.* D*einde etiam quàm falſum, quàm inane, quàm inſtabile uulgi iudicium eſſe ſoleat, aperiemus.* H*ic exempla eorum afferemus, qui ex ſummis honorib. in ſummam ignominiam deuenere.* P*oſtremò, quis honorum aut gloriæ ſit finis, indagabimus: quem quum aut laudē, aut famam, aut uulgi cōſenſum, beneuolentiamq́;, aut uanum aliquid eſſe conſtiterit, oſtendemus, neq; in noſtra poteſtate, ut eum uel mereamur, uel retineamus, ſitum eſſe.* N*am et datur ſæpe nō merenti, et habenti ſine cauſa aufertur.* N*eq; eum ad nos poſt mortē pertinere. nam ſi anima cum corpore extinguatur, nihil ſentiet:*

N ſin

sin immortalis sit, uel non curabit hæc, quia bonis maioribus perfruetur: uel hac de causa magis dolebit, quia pœnas suæ stultitiæ & cupiditatis dabit. Deniq; *fama paucorum annorum, si cum æternitate comparetur, non modò non appetenda, uerumetiam contemnenda, ut res leuißima ac breuißima, iudicabitur. Si uerò corporis uoluptatum cupiditatē sedare scribendo studebimus, primùm eas quæ ab hominibus existimantur, non esse uoluptates, sed naturæ neceßitatem contendemus. naturam enim uel exinanitam repleri, uel repletam exinaniri cupere. Deinde etiam si uoluptates sint, tam breues esse, ut prius abeant, quàm uenisse sentiantur. tantis uerò laboribus, incommodis, periculisq; parari, ut uel ob id solum optabiles esse desinant. deinde etiā noxias ac perniciosas non animis modò esse, sed corporib. quoque, multis rationibus atq; exemplis ostendemus.* P*ostremò, turpe atq; indignū esse dicemus, quas uoluptates communes cum belluis habeamus, in quibusq; ne ipsæ quidem belluæ uolutentur, his potißimum nos obrui atq; immergi. His atq; alijs huius generis rationibus non modò non optandas, sed fugiendas etiam uoluptates esse demonstrabimus. Sed de cupiditate quidem & contemptione hactenus. cætera petantur à philosophis.*

De spe

De spe ac desperatione. Cap. V.

Sequũtur spes ac desperatio, quæ coniunctam cum cupiditate tractationem habent. iisdem enim pene rationibus spes & cupiditas & augetur, et diminuitur. Quemadmodũ autem contemptione cupiditas, ita spes desperatione: item ut cupiditate contemptio, ita spe desperatio tollitur. Sed ne omnino præterijsse hos affectus uideamur, de his quoq; pauca dicamus. Igitur si quem ex desperatione rerum suarum in spem adducere atq; erigere conabimur, primùm quidem eius infortunium extenuabimus, & accidisse alijs sæpenumero plura & grauiora ostendemus. Deinde magno animo quamcunq; fortunam, quæcunq; ea sit, tolerandam esse docebimus: neque forti uiro unquã aut desperandùm, aut cedendum. Tum esse illi malo remedium ostendemus: & quo pacto id inueniri poßit, aperiemus. deinde hominem paulatim quasi ad certamen reuocabimus, & in spem uictoriæ paulatim erigemus. Ad eam rem commoda, facultates, occasiones, instrumenta, adminicula omnia quasi faces quasdam, & aditus patefaciemus: eumq; ad incœptum capessendum certo rei euentu proposito, magnis ostensis præmijs, cohortabimur. Si quid difficultatis aut incommodi inesse uidebitur, aut confutando diluemus, aut extenuando minuemus, aut dißimulando reticebi-

mus.omnia leuia,facilia,& certa reddemus.Si nihil ei acciderit mali, quem erigere in spem summam statuerimus,omißis prioribus locis,nihilominus sequentibus utemur. Si autem minuere ac labefactare spem cuiusquam,ut falsam,inanemq́; uelimus, superiores locos in contrariū ducemus: atq; omni ex parte rem duram,difficilem,incredibilem,dubiam,impoßibilemq́; reddemus: ostendemusq́;,pro nostra in eum beneuolentia nolle eum in re incerta spem certam collocare. atq; ita nobis esse uisum dicemus. Atq; *hic optimus quidē in principio locus erit.* Exemplis *præterea utemur eorum,qui ex spe magna, & penè certa deciderunt.neq; credendum aut principibus,aut opibus,aut coniecturis,aut meritis,aut ullis deniq; adminiculis esse dicemus. Contentum sua quenq; fortuna esse oportere: imponendum autem spei & cupiditati modum:atq; hoc in primis esse sapientis.* Hoc *loco tum de fortunæ leuitate, tum de continentia & moderatione differemus,& quantum in mediocritate boni, quantum contrà mali in luxuria et cupiditatibus sit, pluribus argumentis ostendemus.* Atq; *hæc ad spem minuendā pertinent.Si quæ præterea sunt,quæ ad leuandam desperationem pertineant, ea à nobis in consolandi ratione dicentur.*

De auda=

De audacia & metu. Cap. VI.

Proximi sunt his audacia & metus, quorum alter magis excitandus, alter magis reprimendus est: uterq; tamen pendet ex altero. Igitur si metum repellere, atq; audaciam accendere constituerimus, primùm quidem dabimus operam, ut metus causam diligenter indagatam, quantū possumus, extenuemus: eamq́; uel falsam, uel inanem, uel ineptam, uel paruam esse ostendemus: neq; debere ullum his rebus aliquo pacto commoueri dicemus: & quàm turpis sit in homine, tum formido, tum ignauia, utriusq; effectibus atq; exemplis demonstrabimus. Deinde hominē ad id quod uolumus, audendū, proposita rerum gerendarum, siue uirtutum mercede ea, quam ille dignißimam & cumulatißimā putet, incitabimus. Tum de animi magnitudine & audacia in rebus gerendis disputabimus, eāq; rē pulcherrimā atq; honestißimā rationibus & exēplis maximè illustrib. faciemus. Labores et pericula omnia, tū extenuāda, tū contemnenda esse dicemus: neq; deterreri fortem uirum aut laborum, periculorumúe magnitudine, aut uinculorum tormentorumq́;, atq; ipsius deniq; mortis metu oportere. Hoc loco exemplis æqualium, aut etiam si poterimus, minorum, qui uel eadem, uel similia gesserint, hominem inflammabimus: atq; ad eos æmulandos, aut etiam supe-

randos instigabimus. Quòd si is claris maioribus ortus sit, ut uel illos uirtute superet, uel ab illis certè non degeneret, admonebimus. Postremò eũ ad clarißimi cuiuscunq; æmulationẽ prouocabimus. Si uerò temeritatẽ cuiusquam atq; audaciã reprimemus, his locis in cõtrarium uersis, omnia aspera ac difficilia facimus. Dicemus enim, neque pericula temerè suscipiẽda, aut labores frustra subeundos esse: neq; fortunam cœptis nostris semper arridere, aut audaciam nostram prosperum semper euentum sortiri: neq; nostris uiribus, aut nostro ingenio usq; adeò confidendum esse, ut nõ plurimum etiam in aliorum consilio & prudentia reponamus. Quo loco quanta uis sit consilij et prudentiæ, dißeremus: hominemq; ad consilium & rationem reuocare conabimur. neq; enim fortitudinem eam esse, quæ consilio & ratione carebat. Et in hanc sententiam plura dicemus, ostendemusq; ita maiores eius, ita clarißimum quenq; fecisse, ita illum quoq; facere oportere: quantaq; eum uitæ laus, & uitæ tranquillitas, si ita fecerit, quanta contrà ignominia, quanta incommoda ac pericula consequantur, si contrà fecerit, ostendemus: metumq; illi tum infamiæ, tum periculorũ, tum tormentorum, tum etiam mortis, quantum poterimus, inijciemus. Si uerò aut cæterarum rerum, aut mortis metum sedare & repellere decreueri-

creuerimus, nihil esse in illis mali, aut etiã aliquid inesse boni contendemus: locisq; communibus, atque exemplis constantiæ id comprobabimus: omnia uirtuti & gloriæ tribuemus: pro ea neq; exilium, neq; uincula, neq; tormenta, neq; ullum genus mortis timendum esse: idq; multis atq; illustribus exemplis eorum, qui hæc pro patria, aut fide, aut pro uirtute pertulerunt, abundè docebimus: quanta eos gloria atque immortalitas consecuta sit, quanta nos quoq; apud posteros maneat, aperiemus. Mortem uerò naturæ finem esse: qui quũ & certus, & communis omnibus, & necessarius sit, timeri nõ debeat. Ita enim aut nihil mali, si omnia dissoluantur: aut plurimũ boni, si animæ maneant, existere necesse est. tum hominem ad conscientiam bene actæ uitæ, & ad nostræ religionis ueritatem ac iusticiam reuocabimus: eumq; certissimam atq; amplissimam uitæ suæ mercedem sperare atq; expectare iubebimus. Atq; de metu sedando in præsentia hæc satis sint. Si qua deesse uidebuntur, in doloris & mortis consolatione dicentur.

De ira. Cap. VII.

Audaciæ finitima ira est, quam diximus affectu carere contrario, propterea quòd stupida illa, & omni iniuriarum sensu carens natura non reperiatur: sed eius loco uirtutes habet, mansuetudinem

dinem & clementiam. Iræ autem duo genera ple riq; fecere: alterum, quod ad punienda errantiũ delicta: alterum, quod ad ulciscendas iniurias dicant pertinere. Superius illud genus humano generi utile admodum & necessarium putant, ita ut Deo quoq; concedere id nostri non dubitent: posterius noxium omnino ac perniciosum est. Illud itaq; nobis excitandum, hoc reprimendum atq; extinguendum est. Si quem igitur ad punienda delicta, pœnasq; de reis sumendis incitare decreuerimus, duo potissimum considerabimus, causam & personam. In causa de criminis specie & magnitudine disputabimus: idq; à tempore, loco, modo, socijs, facultatibus, instrumentis, et cæteris partibus, quæ augere aliquid possunt, maiorem in modum augebimus. Quòd si plura crimina fuerint, ea cum accumulatione & atrocitate enumerabimus: sin unum fuerit, id plures in partes amplificando diuidemus, & ex uno plura faciemus. Persona duplex est, rei et iudicis: hoc est, eius qui puniendus est, & eius qui puniturus est, ad quem ipsi scribimus. In reo considerabimus sexum: alia enim maribus, alia fœminis fœdiora sunt. ætatẽ: non enim omnia omni ætati concessa sunt, atq; alia alij ætati turpiora. conditionem: nam seruorum & subditorum in superiores crimina grauiora sunt. statum: ut liberorum crimina in parentes

rentes

rentes atrociora esse dicamus. fortunam: quanto antecellit, tanto eius crimina grauiora insigniorаq; sunt. Considerabimus præterea uoluntatē, atq; inde, si malo animo fecerit, causam augebimus. consuetudinem, ut si id crimen sæpenumero commiserit. audaciam: quo loco & quantum facinus aggredi ausus sit, & quid in posterum ausurus esse uideatur, crescente semper audacia, ostendemus. Ab eius ad quem scribemus, persona, iisdem rationibus crimē augebimus, indignumq; esse dicemus eū, qui grandior natu, qui dominus, qui pater, qui magistratus sit, qui deniq; punire & possit, & soleat, sceleratis impunitatem permittere: quantumq; ex eorum supplicio uniuersis commodum, quanta ciuitati quies, quantus improbis in posterum terror, quanta illi ipsi iustitiæ & seueritatis fama accessura sit: quàm contraria omnia sint futura ex eorum impunitate, singillatim explicabimus. Si autem posterius illud iræ genus, quod ad ulciscendas iniurias spectare diximus, compescere ac sedare statuerimus, eadem rerum & personarum diuisione utemur: atq; in rebus quidem à quibus partibus crimen augendum esse diximus, ab iisdem iniuriam extenuabimus. Personarum quoq; eadem facienda distinctio erit: atque ab iisdem locis minuenda iniuria, omniaq; ad animi mansuetudinem, clementiam,

mentiam, & animi magnitudinem referenda: ostendendúmq́;, esse maiorem in condonanda iniuria clementiæ, atq; animi magnitudinis laudem, quàm in persequēda ultionis uoluptate. Ad hanc *illum etiam rationibus & exemplis clementium uirorum, quoad fieri poterit, incitabimus: ostendemusq́;, cum superioribus quidem, quibus par esse non poßis, certare stultum esse: cum paribus, ambiguum: cum inferioribus, uile, & indecorum. Illud præterea esse ultionis genus, quum is se contemni, & pro nihilo haberi uidet. quæ quidem et alia eiusdem generis quū dixerimus, exemplisq́; confirmauerimus, eius animi magnitudinem & clementiā commendabimus, ad eiusq́; laudem appetendam hominem summo studio atq; omnibus orationis uiribus inflammabimus, & cum deprecatione misericordiam à communibus locis commouebimus. Atq; hæc de ira satis. nūc ad reliquos affectus pergamus.*

De lætitia & iocis excitandis. Cap. VIII.

Restant ex omni affectuum ratione duo, qui à præsentis boni & mali opinione proficiscuntur: lætitia illa gestiens, quæ ab alijs gaudium, ab alijs uoluptas appellatur: & dolor, siue ut Cicero appellat, ægritudo. Horum uterq; *reprimendus est: lætitia uerò nonnunquā etiam excitanda.*

Igitur

Igitur de ea primùm dicamus. Excitatur *scribendo lætitia, aut uniuersa re, aut partibus: uniuersa, quum aliquid amico per literas nunciamus, quod illi iucundum atq; optatum esse scimus: ut opum, bonorum, dignitatumq́; accessio, patriæ, fortunarum, ornamentorumq́; restitutio: liberorum, propinquorum atq; amicorum salus, ualetudo, dignitas, & quæ sunt generis eiusdem: quæ gratissima esse audienti solent, præsertim quũ præter spem atq; opinionem acciderunt.* Excitant *etiam illa uoluptatem audienti, quæ uoluptatem attulere spectanti: ut quum triumphus, conuiuia, nuptiæ, ludi, spectaculaq́; omnis generis uisa narrantur. in quibus tum res ipsæ, tum narrandi modus delectationem affert. nam si nudam & simplicẽ narrationem habeant, lectorem nõ sanè multum mouent: sin in illis crebræ digressiones fiant, quædã incredibilia, subita, inopinata, ridicula referãtur: si tota narratio lepore quodam & salibus respergatur: si singulorum mores, sermones, actiones cum eorum imitatione narrentur: si deniq; singula quasi oculis spectanda proponantur, ea demũ narratio uoluptatem affert. A`partibus uoluptas excitatur, quum uel in uerbis, uel in rebus iocamur.* Iocandi *in rebus* Cicero *duo genera libero homini digna esse dicit, narrationẽ atq; immutationem.* Narratio *est, alicuius factæ uel fictæ rei*

cum

cum lepore expositio ad id de quo loquimur, accommodata: ut apologus, simile, exemplum, comparatio, res gesta, quæ aliqua de causa ridicula, iocosáq; sit. Iocus autem & risus excitatur multis modis. ex ambiguo, quum aliud dicimus, & aliud dicere uidemur, uel aliud intelligi uolumus: ut si quis de seruo furace dicat, hic est cui nihil domi occlusum, obsignatumq; sit: quod etiam fideli seruo conuenit. Ex imagine, quum eius rei de qua loquimur, imaginem à re quadam inopinata & dissimili ducimus: ut si quem peßimè canentem asino rudenti, aut si præpinguem hominem dolio comparemus. Ex errore, quum uel ipsi nos errasse fingimus: ut si auarum, qui se uenisse dicat, interrogemus, quanti? quasi uenalem existimauerimus. uel alios in errorem ducimus: quale est illud Martialis in Codrum: quam plurimùm credere, non quia pecuniosus esset, sed quia cæcus amaret, affirmabat. Sed ex his rebus iocus potißimum existit, quæ præter spem atq; opinionem uel dicuntur, uel accidunt: cuius generis infinitæ penè species reperiuntur. Imitatio est, quũ alterius sermonem, mores, naturamq; effingimus: ea dicendo atq; agendo magis quàm scribendo utimur. licet tamen scribendo quoq; apud familiarissimos quorundam sermones, qui nobis ridiculi uideantur, effingere. Mores uerò & naturam aliquorum

quorum quædam cum uenustate describere, ridiculum in primis, & iocosum est. Verba uerò tam multis modis iocum & risum excitant, ut difficile atq; incredibile dictu sit. nunc enim transferuntur, nunc inuertuntur, nunc mutãtur, nunc transmutantur, nunc aliam in partem, nunc in aliam significationem accipiuntur: nunc uocalibus tantum mutatis, eædem consonantes seruatæ, in aliam, quæ à præposito non discedat, sententiam transferuntur: atque omnia aut fallunt, aut alludunt, aut derident, aut mordent, aut contemnũt, aut in alium sensum detorquentur. Sed quoniam hæc natura, non arte perficiuntur, superuacuum de his præcipere quicquam uidetur. nam si quis ineptus natura sit, atq; ex arte iocari uolet, non magis id prosperè ac decenter faciet, quàm asellus is qui est apud Aesopum: qui quidem blandiri domino quum uellet, eum prioribus pedibus, & ruditu immenso atq; intempestiuo inuasit. Iocari itaq; unumquenq; natura & consuetudo doceat, necesse est. Materiam inter amicos pro cuiusque natura res, quæ quotidie accidunt, satis abundeq; præbebunt. Modus ex amici natura, & nostra consuetudine ac familiaritate statuetur. Illud non in scribendo modò, sed in omni quoq; oratione & sermone cauendum, ne aut scurrilia, aut obscœna proferamus: ńe, dum urbani esse cupimus,

mus, scurriles, impudiciq; habeamur. Ac de iocis *quidem hactenus.*

De lætitia reprimenda. Cap. IX.

Si autem reprimere gestientem illam, atq; immodicam lætitiam moderari tentabimus, quum rationẽ nostri consilij atq; admonitionis nostræ in principio aperuerimus, omnesq; inuidiæ suspiciones à nobis, ijs quas suprà ostendimus, rationibus amouerimus, de immodica lætitia in uniuersum disputabimus: ostendemusq; primùm, quàm multorum malorum ea causa radixq; sit. quippe quæ insolentiam, superbiam, iactationem falsæ gloriæ, cupiditatem, impatientiam, leuitatem, luxuriam, segnitiem, ignauiam, inertiam, atq; innumerabilia uitia ex sese pariat. Deinde *quàm ea res inanis, breuis, caducaq; sit, aperiemus: & quàm sæpe in contrarium uerti soleat, ex quacunque re profecta sit, multis ac uarijs exemplis comprobabimus: idemq; in omni lætitiæ ac prosperitatis genere accidere, singillatim per omnes uitæ status ac species discurrentes, ostendemus.* Inde *ad causam pedetentim accedẽtes, eam rem de qua ille gestiat, maximè fluxam atq; inanem esse ratione aliqua demonstrabimus: & quid eum ad insolentiam superbiamq; efferat, quæ contrà in ea re pericula atq; aduersa metuenda sint, ex aliorum, quibus idem acciderit, exemplo perscrutabimur:*

mur: timendaq; omnia quæ accidere poßint, illi esse dicemus: quæ si accidant, quid facturus sit, & quàm turpiter de summo gradu in infimum sit casurus, interrogando inuestigabimus. Quum autem quid in ea re mali sit, atq; esse poßit, ostenderimus, quid in moderatione boni sit, quæ inde quies, quæ salus, quæ autoritas, quæ gloria, qui deniq; fructus proueniant, explicabimus, ad eosq; percipiendos atq; amplectendos illum, & eius, et nostra, & ipsius rei causa cohortabimur.

De mœrore, siue ægritudine sedanda. Cap. X.

Mœror autem, siue ægritudo, quæ una ex omnium affectuum ratione reliqua est, quum animū præsentis mali opinione conficiat, non excitanda stimulis, sed consolatione aut tollenda omnino: aut, quantum fieri potest, sedanda, comprimendaq; est. Quoniam autē ægritudo multiplex est, multiplex quoque consolatio adhiberi solet. quæ quidem res quum & ad philosophos tota pertineat, & ita latè pateat, ut de singulis eius generibus singula tum à Græcis, tum à nostris uolumina & olim scripta sint, & (ut ego compertum habeo) nunc quoq; scribantur, tractari à nobis pluribus uerbis nec debet, nec potest. Sed ne reliquisse pulcherrimam operis partem intactam uideamur, capita tantum quædam in singulis generibus

ribus summatim attingemus, ut ex ijs unicuiq; aditus ad cætera præbeatur. In omni autem consolatione tria illa potißimum, quæ Cicero docet, quasi fundamenta quædam nobis sequenda etiam censeo: primùm, ut in re boni plurimum, aut nullum malum, aut quàm minimum malum esse doceamus: Deinde, *ut de communi uitæ conditione, aut de eius ipsius ad quem scribimus, propria disputemus:* Tertiò, *ut summam stultitiam esse doceamus, frustra cõfici mœrore, quum intelligamus ea ratione profici nihil posse. quæ quidem quum omni ægritudini communia sint, qua ratione possint singulis generibus accommodari, nunc breuiter subijciemus.*

De consolatione paupertatis. Cap. XI.

Omnis igitur ægritudo, ut breuiter complectamur, aut ex opum, aut ex honorum, aut ex patriæ, aut ex suorum, aut ex ualetudinis amißione suscipitur. Si quem aut ex opum amißione, aut etiam inopia mœrentem consolabimur, primùm quidem ostendemus, quàm multa ac magna ex diuitijs mala nascantur: ut ignauia, luxuria, libido, auaricia, odia, contentiones, cædes, bella, urbium euersiones, et quæ sunt generis eiusdem. quantas etiam hominibus curas, sollicitudines, molestias, quantos labores opum tum comparatio, tum

confera

conseruatio afferat. Perpauca uerò ad usus uitæ necessaria sunt, ut nihilo plus diues, quàm pauper uel uiuens consumat, uel moriens secum auferat: quanto uerò cum dolore opes à morientibus relinquantur, & quibus sæpe relinquantur. Deinde paupertatē omnibus his malis carere, singilatim ostēdemus, eiusq; innumerabilia bona superioribus malis contraria explicabimus. Quæ uerò in ea uel mala, uel incōmoda esse existimātur; ea nos partim negando, partim confutando, partim extenuando, partim bonorū magnitudine cōpensando, aut omnino dissoluemus, aut quàm maximè leuia et tolerabilia faciemus. Deinde ad cōmunem uitæ conditionem cōuersi, iubebimus considerare, quàm pauci diuites, quàm multi pauperes sint. quo loco plurimos in eadē, qua illi quos consolamur, sunt, fortuna, plurimos etiam in deteriore constitutos omnis generis uiros ostendemus. neq; uerò diuitias, ut præmium uirtutis, optandas esse, quibus pessimus quisq; maximè affluat: neq; paupertatem, ut crimen aliquod, aut turpitudinem refugiendā, quam optimus quisq; semper adamauerit, esse dicemus. Atq; hoc exemplis tum sanctissimorum uirorū, tum doctissimorum hominum demonstrabimus: qui opes non modò, quū abessent, nō quæsiuere: sed, quum adessent, etiam alijs atq; alijs rationib. abiecere. Ex quo fiet,

O ut

ut opes, si non contigerint, nō sint appetendæ: si amissæ sint, non sint requirendæ. Deinde eum ad quem scribimus, suorum bonorum enumeratione consolabimur: atq; ad eorum contemplationem, fruitionemq́; cohortabimur. Postremò dicemus, facultates illi ad uiuendum necessarias neq; pro sua uirtute deesse posse: neq;, si desint, magno esse labore conquirendas.

De consolatione amissorum honorum, & patriæ. Cap. XII.

Eadem in honorum, dignitatum, ac potentiæ, quæ in opum amißione, consolandi ratio erit. Primùm enim ostendemus, quantis illa laboribus, curis, molestijs, & periculis comparentur, quantisq́; seruentur: quàm uerò fluxa, inania atq; instabilia sint, & in quorum potestate constituta. Quæ contrà sit priuati hominis uita, quæ quies, quæ securitas, quæ tranquillitas, quæ deniq; beatitudo. deinde nihil esse mali in eárum rerum amissione, contendemus: quæ neq; uirtutibus cōparentur, neq; uitijs amittantur. Culpam omnem tum in fortunæ uarietatem, leuitatemq́;, tum in ipsarum rerum naturam conferemus. Et rei constantiam, patientiam, prudentiam, & cæteras uirtutes opponemus, quarum exercendarum genera hæc accidere diuinitus permittantur. His exemplis illustrium uirorum, quibus idem in omni ge-

nere

nere acciderit, multis autem tr. Hominem deinde tū ad inferioris fortunæ contemplationē, tum ad priuatæ uitæ commoda, tum ad eorum quæ eripi non poßint, bonorum, si non habeat, adeptionē: si habeat, fructum & conseruationem, omni alia sublata cogitatione, reuocabimus. Si quem autem patriæ amißione mœrentem consolabimur, primùm de populorum leuitate, stultitia, & iniquitate in uniuersum disputabimus: ostendemusq; quàm multi sint à suis ciuibus immeritò eiecti, qui paulo pòst aut frustra desiderati sunt, quum in patriam reuerti nollent, aut cum magna sua gloria reuocati. Hic optimū etiam exilium esse, cum à malis & factiosis ciuibus disceditur: ita, ut ultro etiam sit ex tam iniqua aut ingrata patria migrandum, demonstrabimus: exemplisq; eorum utemur, qui ciuium suorum aut uitijs, aut factionibus, aut ingratitudine offensi, patriam ultro reliquere. Deinde si quid proprium de eius ipsius patria, ciuibusq; habebimus, in medium afferemus. Nominis autem ignominiā, præsertim si iniustè damnatus sit, non esse timendam. illic enim exilium esse, ubi uirtuti locus non sit. Exemplis eorum utemur, qui multo clariores exilio, illustrioresq; fuere, quàm si in patria perpetuò mansissent. Quo loco uirtutem eius collaudabimus, eumq; multo clariorem acceptioremq; apud om

nes nationes hoc exilio fore ostẽdemus. Exilij quoque nomen in peregrinationem commutabimus: atq; eo modo leuius atque tolerabilius faciemus. Quòd si is propterea doleat, & se miserum arbitretur, quòd sibi extra patriam uiuendum sit, primùm quidem ostendemus, si ita esset, plenas omnes prouincias miserorum futuras esse, in quibus tam multi, ac tamdiu peregrinentur. hic ostendemus, quàm multi mercaturæ, quàm multi doctrinæ, quàm multi etiam uoluptatis gratia & olim peregrinati sunt, & hodie peregrinentur. nostri enim temporis exempla ad omnem consolationem ualebunt plurimum. nam ueterum facta tanquam incredibilia, & à scriptoribus ficta leguntur. Eos itaq; potißimum commemorabimus, qui noti illustresq; sint: et aliqua de causa semel egressi, in eam postea nunquam reuerterint: illum uerò nullo modo patriam amisisse dicemus, sed in ea rerum gestarum gloria, & multarum uirtutum memoria & nunc permanere, & perpetuò permansurum. De habitatione modici temporis, aut de sepultura corporis sollicitum illum esse non debere. Si bonorum amißionem doleat, & exiguarum opum gratia illum cõmoueri non oportere dicemus, qui maioribus rebus nõ commoueatur: & opes illi nullo loco defuturas. Si suorum uel ciuium, uel propinquorum desiderio teneatur, eos

extra patriam uidere facile posse. Si patriæ cõmoda aut uoluptates desideret, ubiq; illi eadem aut maiora commoda fore demonstrabimus. Quòd si extra patriam & melius & quietius & commodius poßit uiuere, omne solum uiro forti patriũ existimandum: exemplo Teucri, qui patriam illic esse aiebat, ubicunq; esset bene. deniq; stultũ esse dicemus, se, suamq; uirtutem mœnibus unius ciuitatis claudere, eiq; se addictum ac deuinctum esse existimare, quum poßit uniuersum terrarum orbem sibi patriam facere: ut Socrates, qui quum interrogaretur, cuiatem se esse diceret, mundanum se esse aiebat.



De consolatione mortis. Cap. XIIII.

Sequuntur ea quæ aduersus dolorẽ ex alicuius morte susceptum dici solent: quæ quidem, quoniã res ipsa quotidie accidit, atq; in omniũ ore uersatur, partim tam multa sunt, ut breui comprehendi nõ poßint: partim tam latè patentia, ut facile ab omnibus excogitari queant. nos tamen, ut aditum ad cætera inuenienda faciliorem omnibus, et latiorem præbeamus, quædã breuiter perstringemus. Igitur si consolari quenquã morte lugẽtem statuerimus, oportebit nos initio scribendi orationem nostrã ad illius dolorẽ parumper accommodare, ita ut & iurè dolere, & nos ad eius dolo

rem quàm proximè accedere ostẽdamus. Ex quo fiet, ut ille facilius nostram consolationem admittat, & nos fidem apud eum & beneuolentiam ad ea quæ dicturi sumus, maiorẽ comparemus. nam & genus quoddam consolationis est, habere aliquem nostris calamitatibus nobiscum pariter dolentem. Videtur enim ille, quũ ex eadem re dolorem capit, nos aliqua ex parte nostro leuare. & adhibere statim acrem recenti atq; acerbo uulneri medicinam, minimè accommodatum est. recrudescunt enim uehementiori contactu recentia uulnera: & non modò ferrum, sed manum quoq; medici in principio reformidant. necesse itaq; est, ut dolori paululum concedamus, & tum oratione, tum etiam significatione nostri doloris obsequamur. quod quum aliquandiu fecerimus, & animũ hominis beneuolum nobis atq; obsequentẽ reddiderimus, ita ut nos putet iam æquè ac se ipsum dolere, nihilq; posse nos quod ille refugiat, dicere, consolationem ipsam paulatim ingrediemur: & primùm quidem doloris causam aut interrogando, aut indagando, aut confutando inuestigabimus. ea aut in morte ipsa, aut in eo qui mortuus est, aut in eo qui luget, inueniatur necesse est. In morte quidem aut boni plurimum in esse ostendemus, tum earum à quibus discedimus, iniuriarum explicatione, tum eius quæ diuinitus promittitur

immor-

immortalitatis ac beatitudinis cõmemoratione: aut certè nihil etiam mali, etiamsi id quod credere prohibemur, animæ cũ corporibus extinguerentur. Mortẽ præterea naturæ finem esse, non pœnam, tum ex singularũ ætatum ordine, tum ex ipsa compositioue ac resolutione demonstrabimus. Exempla eorũ adijciemus, qui cum senio confecti essent, paulatim sine morbo, sine dolore, quasi sponte decesserunt: aut eorũ qui mortẽ suam aliquo tempore prædixere, quòd se deficere dissoluiq; sentirent. mortẽ itaq; doloris causam cuiquã esse nec debere, nec posse. Defuncti etiam gratia lugendum non esse, cui aut ingens bonum, aut nullum malum acciderit, ostendemus. deinde ex eius uirtutibus, rebus gestis, moribus, & anteacta uita non posse eum immortalẽ beatumq; non esse. tũ quibus in uita bonis perfructus sit, à quibus cõtrà malis tum præsentibus, tum imminentibus sit ereptus, demõstrabimus: atq; utraq; et bona et mala cõmemorabimus, ita ut neq; maioribus bonis eũ perfrui potuisse, si diutius uixisset, et mala ingentia quæ imminebant, euitasse dicamus: ita ut uel sponte eum deceßisse, uel diuinitus sublatum esse monstremus. Mortẽ autem illi utilem fuisse non modò ex instantibus, & penè præsentibus malis, sed ex his etiã quæ accidere diutius uiuentibus solent, ostendemus. Afferemus huc exempla eorũ,

qui quũ multos annos fœlicißimè uixissent, infœlicißimum exitum uel suorũ morte, uel patriæ calamitatibus, uel alia fortunæ mutatione, habuere. Eum uerò qui lugeat, si hominẽ ad tanta bona ab his malis profectum lugeat, nõ rectè facere. id enim inuidentis potius, quàm amantis esse, ostendemus. Sin sua cõmoda lugeat, quæ ex illo uiuente capiebat, non illũ, sed se ipsum amasse dicemus. Quòd si filius eius fuerit, qui defunctus est, ostendemus commodatũ à Deo, nõ datum fuisse. quàm diu illi collibitũ fuerit, eum patri concessisse: quũ uisum sit, quod suum erat, recepisse: omnia in meliorem partẽ accipienda. Deum, cũ optimus atq; æquißimus sit, nihil nisi summa ratione aut agere, aut permittere: nihil non optimum nobis, atq; utilißimũ, pati euenire. quippe qui multo magis nos amet, quàm ipsi: sed nostri commodi gratia permittere, ut non omnium rerum scire rationẽ poßimus. et alia multa, quæ in hanc sententiam à theologis dici solent. Deinde lugentẽ exemplis eorum, qui & plures & clariores filios amisere, consolabimur: eumq; tum malorũ, quæ plura & maiora pertulerit, comparatione, hãc calamitatẽ contemnere debere, quũ animus iam in malis obdurauerit, ostendemus: tum bonorũ, quæ ei plurima & maxima reliqua sunt, explicatione hominem ad eorum contemplationẽ, perfruitionemq; reuocabi-

reuocabimus. Illa praeterea quanquã cõmunia et uulgata sint, nonnunquã tamẽ, si suo tempore afferantur, animũ lugentis nõ mediocriter recreãt: hominẽ eum natum fuisse: hanc esse humanae uitae conditionẽ, ut omnia orta occidant, & aucta senescant. neminem debere peculiariter lugere, quod cõmune sit, atq; omnibus accidat. sapientẽ uerò, qui causas rerũ intelligat, multo minus angi, commoueriq; debere. Poterimus hic cõmemorare tot regũ, ciuitatũ, nationũ, aedificiorumq; interitus: hominemq; ab unius morte ad tantarũ rerum interitũ contemplandũ exemplo Seruij Sulpitij reuocare. Accedent his, si qua de cõditione defuncti dici poßint, quae illi propria sint: quae quidẽ uitã eius aut acerbã, aut minus iucundã reddere potuissent: ut caecitas, surditas, siue alterius membri, aut etiã totius corporis debilitas, aut aegritudo, item orbitas, humilitas, paupertas, infortuniaq; alia, quae hominibus praeter opinionẽ solent accidere: quarum rerum si afferre aliquam poterimus, mortem illi fuisse utilem concludemus. Postremò stultũ esse dicemus, luctu ac moerore confici, quũ intelligat proficere se nihil posse. quo loco hominem ad patientiã, constantiã, uirtutem, quam in caeteris rebus semper habuerit, ostendendã cohortabimur: eamq; medicinã se sua sibi prudentia afferre oportere dicemus, quã ipsa sit omnino tem

poris lõginquitas allatura. Deniq; barbaras quasdam nationes luctu nascentes, morientes cantib. et lætitia prosequi consueuisse: cogitãtes, alteros in magnas miserias, alteros à maximis malis liberari. Turpe itaq; esse nobis, qui literas & sapientiam profiteamur, à barbaris hac in re una superari, qui eos in cæteris superemus. Quòd si lætari morte nostrorum non possumus, luctum certè omnem cohibendum esse. Sed de morte quidem satis. cætera ex libris philosophorum petentur.

De consolatione cæcitatis, & totius corporis imbecillitatis. Cap. XIIII.

Superest ut eos cõsolemur, qui aut aliqua corporis parte, aut toto etiã corpore debilitati sunt. In his primũ locum obtinet cæcitas, quæ propter illius sensus excellentiã maximè uidetur detestanda. Igitur si cæcum hominẽ consolabimur, primũ ostendemus, quare sint singuli sensus à natura dati: docebimusq; eos non ad scelera, aut uoluptates perfruendas, sed ad institutionem animi, ac perfectionem corporis, tanquã duces et comites esse datos. deinde quàm multa ex his mala, tũ in corpus, tum in animũ ipsum proficiscãtur, explicabimus. Et quoniam hæc ratio ad omniũ sensuum amißionem consolandã ualebit, quæ ex singulis mala oriri, quæ à singulis scelera cõmitti soleant, ostendemus.

mus. Deinde his malis omnib. liberũ atq; immunẽ esse, qui illorum incitatore atq; autore sensu careat, demonstrabimus. tum eorum qui sensibus his priuati sunt, quietẽ, simplicitatem, securitatẽ, & commoda proferemus: incõmoda, si qua inesse ui debũtur, docebimus ea uel per alios sensus suppleri, uel per ministros ac seruos euitari posse: ac cæcis quidem colorum, surdis uerò sonorũ notitiã, quæ utrisq; deesse uideatur, neq; ad capiendas uoluptates, neq; ad res gerendas obesse. quo loco eos neq; corporis, neq; animi uoluptatib. carere, excepta duntaxat colorũ in cæcis, in surdis sonorũ uoluptate, multis rationib. atq; exemplis demonstrabimus. Eas uerò uoluptates neq; tanti esse faciendas, ut earũ gratia tot uitijs atq; sceleribus subiacere, inuoluiq; uelimus: et tam multis contrà bonis ac uirtutib. cõpensatas esse, ut etiamsi magnæ essent, contemnendæ tamẽ, ac pro nihilo habendæ uideantur. A rebus uerò gerendis neq; cæcos, neq; surdos, neq; alio sensu debilitatos abduci, singulorum exemplis, qui in omni genere claruerũt, comprobabimus. tum quæ disciplinæ, quæ uirtutes, quæ artes in cæcis, surdis, mutisq; & esse poßint, et semper fuerint, ostẽdemus: nonnullosq; altioris contemplationis gratia, ne à sensibus distraherentur, aut se in altißimos recessus abdidisse, aut etiã sponte sibi oculos effodisse. atq; hæ cõmunes consolationes sunt. Proprias unicuiq; pro eius ingenio,

nio,natura,disciplina,uirtutibus,moribus,rebus gestis,& cæteris partib. quæ personis attribuuntur, accommodabimus. quæ præterea de cõmuni humanæ uitæ conditione,de patientia,de constantia, de omni uirtute dici possunt, in hanc poterimus consolationẽ conferre. Quæ de his sensib. diximus, tum in alias corporis partes, tũ ad uniuersum corpus,atq; ad omnes eius morbos accommodari poterunt. ostendemus enim pernicitatẽ pedum,corporis totius formam,agilitatẽ,robur,sæpe homini obfuisse,profuisse ferè nunquã:malaq; omnia colligemus, quæ ab his quas dixi partibus proficiscuntur. Commoda uerò,quæ ex corporis integritate capiũtur, partim extenuabimus,partim nobis per alios præstari posse ostẽdemus:ita, ut ex infirma corporis ualetudine aut nulla, aut quàm minima incõmoda suscipiãtur, eaq; omnia seruorum ac iumentorũ ministerio resarciantur. Dolorem uerò corporis ad patiẽtiæ, constantiæ, uirtutumq; omnium exercitationẽ,item ad animi præstantiam, ad immortalitatis ac beatitudinis spem atq; expectationẽ reuocabimus: exemplaq; afferemus eorum qui minima quaq; de causa, ne proderent quod celari uolebant, grauißimis cruciatibus restitere:item eorum, qui nostræ religionis tuendæ, Christianiq; nominis profitendi gratia,ultro se maximis atq; exquisitißimis tormẽtis abiecere. Auget hanc consolationẽ & communiũ

& para

& particularium, uniuersarumq; miseriarū commemoratio, ut intelligat is qui morbo aliquo laborat, calamitatibus atq; ærumnis immunem esse neminem. quod si palam singulæ ostendi, & cum alienis conferri possent, neminē suas cum alienis commutaturum. Maximè autē proderit illa corporis, animiq; comparatio, & utriusq; officiorū, uirium, partium, utriusq; deniq; finis explicatio: quam quū accommodatè fecerimus, et animi præstantiam ostenderimus, ad eius uires exercendas, gloriam atq; immortalitatē, doctrina, ingenio, et uirtutibus comparandam summo studio cohortabimur: & huius uitæ breuitate atq; imbecillitate contempta, ad beatam illam æternamq; appetendam, & origine & mercede proposita, incitabimus. Sed hæc hactenus.

De inuentione in uniuersum.
Cap. XV.

In omni scribendi genere quo pacto materia inueniēda esset, satis abundeq; uideor exposuisse: quæ quidem pars, quoniam & difficillima erat, & à nostris scriptoribus in hoc præsertim genere minimè tractata, pluribus uerbis à nobis explicata est. Nemo enim ferè est, qui conceptus mentis exprimere atq; eloqui non quoquo modo possit: sed difficillimū ab omnibus existimatur, quid dicas, aptè accommodateq; inuenire. nam etiamsi minus ornatè dicas, quod uelis, si animo aliquid

non

non uulgare dicas,poteris tamen nõ mediocriter lectorem delectare. Quemadmodũ enim pulchritudinis in corpore potißima pars nõ uestes sunt, sed ipsa corporis habitudo & forma: ita in oratione nõ uerba,sed sententiæ,& materia ipsa pulchritudinis & roboris causa potißima sunt. Atq; *ut uestes induendi atq; exornandi corporis gratia inuentæ sunt: ita uerba enunciandi atq; eloquendi mentis conceptus gratia sunt excogitata.* Deniq; *res ipsæ sine ornatu uerborum quasi nudum corpus esse possunt:uerba sine rebus,ut sine corpore uestes, subsistere atq; eße non possunt.* Huc *accedit,quòd de elocutione multi & ueterũ, & recentium perscripsere:de inuentione ea quæ extra iudicium in demonstratiuo et deliberatiuo causarum genere uersaretur,exactè atq; accuratè adhuc nemo.* Hanc *enim partem ueteres,ut existimo,partim ut notam, partim ut ad aliam institutionem attinentẽ,penè intactam reliquere:recentiores adhuc non attigere.* Postremò *omnes qui ad dicendi facultatem accedunt,quo pacto dicant,quærunt:quid dicant,non querunt.* His *igitur de causis ego mihi in hac potißimum parte insistendum atq; elaborandum putaui.reliquas duas,dispositionem atq; elocutionem breuiter summatimq; perstringam.* Altera *enim & per se facillima est, & à nobis in ipsa rerum inuentione magna ex parte tractata.* Altera *partim est iam*

à nobis

à nobis nonnullis libris conscripta, partim in aliud tempus, opusq; conseruatur.

De dispositione. Cap. XVI.

Dispositio igitur est ordo rerum dicendarum, ad nostram causam certa ratione accõmodatus. ea nos in scribendo plurimũ iuuabit. Is enim qui scribit, si rectè materiam disponat, et facilius scribet, quum res inter se non implicet, atq; ad idem sæpe non redeat: & utilius atq; aptius ad persuadendum scribet, quum rationes singulas locis suis, quasi milites in acie collocauerit. Is uerò qui leget, & omnia melius intelliget, & facilius memoria retinebit. Igitur qui ad scribendum accedit, quasi corpus aliquod compositurus, materiã omnem animo quasi oculis subijciat ac proponat: & primùm quidem eam in caput, & maxima membra, hoc est, in exordium, et cæteras maiores partes distinguat: neq; solum quantum satis est, unicuiq; parti tribuat, ut omnia pro corporis magnitudine sibi æqualiter membra respondeãt: ne si caput aut aliud membrum à cæteris magnitudine discrepet, monstrosum corpus esse uideatur: uerumetiã eius generis materiam parti cuiq; tribuat, quam illi maximè intelligit cõuenire: ne uel ea quæ confirmationis sunt, in exordiũ conferat: uel quæ in narratione dicenda sunt, in conclusionem differat. Deinde in exordio semina quædam & principia causæ totius, tanquam neruos in capite

pite collocet: à quibus uniuersa oratio manari ac diffundi uideatur. Ea uerò prima in exordio locet, quæ ad conciliandos animos tunc maximè liberos, & in nullam adhuc partem inclinantes ualere plurimum existimabit. Ea enim quæ nudis adhuc & liberis animis imprimuntur, maximè inhæreut. Sunt itaq; lectorum atq; auditorum animis potißimum, & primo quoq; tempore imprimenda, quæ neq; deleri facile poßint, & reliquis rebus dicendis fidem maximam atq; attentionem parent. Exordio, si res postulabit, statim narratio subijcietur, nisi aut lectoris animus maiori præparatione, aut nostra causa maioribus fundamentis indigeat: quod accidere poterit, si defendere turpẽ causam existimabimur. Narrationis uerò dispositio qualis esse deberet, diximus, quũ de narrationis uirtutibus tractaremus. post eam diuisio earũ rerum quas tractaturi sumus, si longior causa fuerit, collocabitur. Sæpenumero tamen, in epistolis præsertim, quæ artificium omnẽ dißimulant, diuisione supersedemus, aut id quàm occultißimè facimus. In confutatione ea prima diluere ac refellere oportebit, quæ uel lector, uel aduersarius tanquã firmißima suæ causæ adiumenta ex aduerso uel collocauerit, uel collocare poterit. Cætera partim eludere, partim cõtemnere, partim transferre, partim subterfugere facilè poterimus. In confirmatione firmißimam quamq;
argumen-

argumentationem cùm in principio, tum in fine collocabimus, ut et nostræ causæ fundamenta constituamus, & lectoris siue auditoris animum in fine quasi obsessum, ac deuictum nostris rationibus relinquamus. In medio leuiora collocabuntur: quæ quum per se satis firma non sint, ualidioribus utrinq; uallata, robur ab antecedentibus consequentibusq; accipient. Conclusio tametsi multis in locis disponenda est, in fine tamen maximè, artificiosissimeq; adhibenda. Cuius ratio satis abundeq; à nobis in primo libro est tradita. Dispositio in epistolis, si perpetua materia fuerit, hæc potissimũ seruanda est. Si plures erunt res, quæ tractentur, à maximis & grauissimis incipiemus. Licebit tamen pro qualitate eorum ad quos scribimus, à leuioribus tanquam ab exordio incipere, ut illis aditum quodammodo nobis ad grauiora præparemus. Si pluribus epistolis unica epistola respondendum erit, licebit uel acceptarum epistolarum ordinem, uel negotiorum grauitatem sequi. atq; in hac quidem re nos ratio temporis admonebit. Ac de dispositione quidem satis in præsentia dictum sit. Nunc ad elocutionem, quæ una reliqua est ex suscepta institutione, transeamus.

De elocutione in uniuersum, & de scribendi materia, Cap, XVII.

Elocutio est, elegans & ornata uerborum sententiarumq́; compositio: quam quidem adipisci qui uolet, ante omnia considerabit, num poemata, an solutam orationem uelit scribere. Plurimum enim tam apud nos, quàm apud Græcos differt, poetarum ac oratorum inter se lingua, non numeris modò, sed toto etiam dicendi genere. Poetæ enim omnia magna atque admirabilia dicendo faciunt: quippe qui res heroicas, diuinasq́; narrent. Oratores, quum ueras causas agant, causæ, non admirationi inseruiunt: propterea q́; circumspectius loquuntur. Præterea poetæ omnia adiectiuis exornant, illustrant, uestiunt, circumfundunt. Oratores omnia simplicius atq; absolutius agant necesse est, & res ipsas apertas, expeditasq́; proponant. Postremò illi tum in singulis uerbis, tum in sententijs ordinandis, componendisq́;, audacia ac licentia maiore utuntur: figurasq́; tam uerborum, quàm sententiarum sibi proprias atq; accommodatas habent, quæ orationi minimè conueniunt. Hi uerò, cum numeris illis non arctent, neq; sibi figuras arrogant, neq; illam in transferendo & componendo licentiam assumunt. Suos utrique fines habent, quos egredi nefas est. Quisquis igitur ad scribendum accedet, hos in primis fines, atque hanc differentiam teneat necesse est, memineritq́; se in oratione

tione poetam, in poemate oratorem figuris & genere ipso dicendi esse non posse. Quo quidem in genere duo maximè uitia fugienda sunt: unum, ne omnia promiscuè, uel quum discimus ab alijs, audiamus: uel quum docemus, alijs enarremus. Nam (*ut ait* Flaccus) *quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. Quod si futuri oratores poemata à principio imbibant, illisq; animum adhuc tenerum & mollem imprimant, semper postea strepitum illum uerborum, & tumorem orationis affectabunt: quod in oratore non mediocre uitium est.* Atq; *hoc quidem uitio uideo plerosq; laborare, non eorum modò qui rhetoricen, sed eorum etiam qui grammaticen docent.* Pueris enim *statim post prima grammatices rudimenta* Virgilium, Ouidium, Lucanum, Iuuenalẽ, Martialemq; *apponunt: secuti, ut arbitror,* Quintilianum, *qui à sermone* Græco *incipiendum, &* Homerũ *pueris enarrandũ esse præcipit: neq; reputantes hanc temporum mutationẽ, et linguæ amißionem, quæ tunc patria erat, nunc peregrina dici potest.* Imò *etiam magis tunc* Romæ *uigebat* Græca *lingua, propter hominum, librorumq; copiam, quàm nunc latina: cuius quidem non usum modò naturalem, quem ueteres habuisse non est dubium, sed scripta quoque, quibus retineri poterat, magna ex parte amisimus.*

Difficilius itaq; & laboriosius nunc latina discuntur, quàm olim Græca discebantur. Mutata igitur linguæ consuetudine, ratio quoq; docendi ac discendi mutetur necesse est: neq; pueris, ut olim, poetæ à principio tradi possunt. Moribus uerò illa lectio quantum noceat in tenera illa & molli ætate, nequeo dicere. Perniciosius enim nihil esse, meo iudicio, potest, quàm nudum adhuc animum, qui optima quaq; re primùm imbuendus esset, amoribus, lasciuijs, fabellisq; imbuere. Alterum est uitium, quod magnopere fugiendum esse diximus, ne in soluta oratione poeticam grandiloquentiam, & circuitus illos uerborum imitemur: aut nostram orationem adiectiuis, translationibus, & figuris immodicis repleamus, quæ tumidam atq; obscuram orationem reddunt. Quo in genere Apuleius, Petronius Arbiter, Martianus Capella, & alij nonnulli magnopere peccauerunt: qui in oratione poetæ quodammodo esse uoluerunt. Quod quidem uitium optimè uitabimus, si in principio eius lectioni assuescemus, cuius in dicendo similes esse cupimus. Quum autem sint plures etiam in soluta oratione scribendi differentiæ, considerandum deinceps est, in quo potissimum genere uersari uelimus. Habet enim res singulæ non solum distincta genera dicendi, uerumetiam propria, peculiariaq; uocabula. Nam

si histo-

si historias, & res gestas scribere instituamus, grandiores, tumidioresq́;, & poetis quodammodo similiores esse possumus. Si orationes aut scribere, aut etiam pronunciare uelimus, graues quidem cùm in uerbis, tum in sententijs esse nos necesse est: sed tamen ita faciles & perspicuos, ut totam orationem nostram ad eorum qui audiunt peritiam, siue intelligentiam, accommodandam esse sciamus. Quo loco reprehendendus nobis error est eorum, qui quum apud imperitos uerba faciant, ita in dicendo affectati, obscuriq́; sunt, ut uix à doctißimis per otium intelligi poßint. Non nulli quum græcè aliquid sciant, in latina, populariq́; oratione Græcis sæpenumero uerbis utuntur: ob id uel maximè, ut à nemine, uel à quàm paucißimis intelligantur, scilicet ut errare impunè poßint: & quum maximè errant, quàm optimè dicere existimentur. quod quidē nequaquam facerent, si aut suæ, aut audientium personæ rationem haberent, aut si Ciceronem optimum fuisse oratorē existimarent: qui, quū & ipse in utraque lingua doctißimus esset, & ad doctißimos plerunq; loqueretur, non solum tamē Græcis uerbis abstinuit, sed latinis quoq; non nisi communibus atq; usitatißimis uti uoluit. Nihil dico de illis, qui apud populum altißimas philosophiæ ac theologiæ quæstiones tractant: quas neq; si ab alijs audi-

rent, ipsi aut intelligerent, aut probarent: neque quum eas dicunt, satis intelligunt. Igitur qui orationes uolet scribere, ante omnia eam materiam sumet, quam non ipse modò planè intelligat, sed ab auditoribus quoq; intelligi facile posse confidat. Deinde eo orationis genere utetur, quod & uerbis sentētijsq; grauißimū erit, et ad usum atq; ingenia auditorū quàm maximè accommodatū. si quis autem in aliqua disciplina præcipere, aut scribere quicquā uelit, æquabile illud et temperatum dicendi genus, de quo Cicero loquitur in Officijs, sequatur necesse est: ita ut neq; figuris multis orationē distinguat, neq; longo ambitu uerborū utatur: & quod in primis necessariū est maximè, dilucidus, apertusq; sit. Nam si ad materiæ difficultatē accedat etiam obscuritas uerborū, & affectatum dicendi genus, neq; libenter legetur, quicúnq; is sit, neq; facile intelligetur. Quo in genere Quintilianus in uitio est: quanquam id temporū, quàm hominis, uitiū dici magis potest. Si quis aūt epistolas tantum, & leuiora quædā uelit conscribere, is pro subiecta materia tum grauius, tum leuius, tum affectatius, tum remißius, tum copiosius, tum breuius, deniq; quod ipse maximè amauerit, genus dicendi sequi poterit, modò materiæ, lectoriq; satisfaciat. Postremò, qui ad scribendum accedit, non solū quid potißimum uelit scribere,

quo

quo potißimum modo uelit ſcribere, ſed cuius in ſcribendo ſimilis eſſe, conſideret neceſſe eſt. Nam quũ aliter Catonis, aliter Ciceronis, aliter Quintiliani, aliter Macrobij, & Boethij ſeculũ locutum ſit, omnesq́; in ſuo genere, quanquam bene dicãt, tamen inter ſe maximè diſcrepent, uidendum eſt, cuius maximè ſimiles eſſe cupiamus. Nam ſi Ciceronem nobis imitandum proponimus, cæterorũ tum modos, tum uocabula uitemus neceſſe eſt. Non enim ſecula modò inter ſe diſcrepant, ſed eiuſdem quoq; ſeculi homines dißimiles in dicendo ſunt. Nam, ſi diligenter aduertimus, aliter Cicero, aliter Saluſtius, aliter Cæſar loquitur, qui tamen æquales propè fuere. Permixtio uerò illa, & confuſio generum dicendi, quæ ex omnibus ſeculis atque hominibus fit, tantam orationi inæqualitatem ac dißimilitudinem affert, ut monſtroſa penè uideatur. quod in Aulo Gellio maximè intueri licet: qui quum priſcam illam eloquentiam imitari conaretur, neque id pateretur conſuetudo ſeculi ſui: item quum Græcos, apud quos illa conſcripſit, effingere atque exprimere, natura linguæ latinæ repugnante, ſtuderet: peßimum, meo iudicio, & minimè imitabile dicendi genus aſſecutus eſt. Is igitur, qui ad ſcribendum accedet, uni ſeculo, atq; adeò uni uiro ſe addicat, neceſſe eſt: eumq́; quum optimum elegerit, (ſtul-

tum est enim, ut ait Plinius, *ad æmulandum non optima quæq; proponere) tum sibi summo studio imitandum, atq; effingendum curet. neq; diffidat se dicendo quemcunq; uoluerit æmulari, & consequi posse, modo se diutißime in scribendo exerceat.* Nemo *autem est siue ueterum, siue nostrorum, qui* Ciceronem *in omni genere nõ optimum atq; præstantißimũ esse putet.* Quod *quidem qui existimabit, ad eius imitationem se totũ conferre, eius orationem effingere, eius uirtutes in eloquendo, quoad fieri poterit, sibi comparare uelle debebit.*

De figuris orationis. Cap. XVIII.

Quum *aũt sint figuræ tres orationis:* Vna *grauis, quæ uerbis & sententijs grauißimis constat, & luminibus ac coloribus tota distinguitur: quales in orationibus* Ciceronis *loci quàm plurimi, præsertimq; in accusationibus, & inuectiuis:* Altera *mediocris, quæ de altitudine illa, & sublimitate multum detrahit, non tamen ad ima descendit: quales sunt magna ex parte* Ciceronis *orationes, & philosophiæ uolumina:* Tertia *infima, quæ sermonem purum, popularem, ac nudum, sed tamen proprium, & latinum habet: quales sunt multæ eiusdẽ* Ciceronis *epistolæ tum ad uxorem,*

rem,tum ad Atticum,tum ad alios, ad quos ille quotidiano sermone scribebat:ante omnia uidendum est,ut illas inter se discernere quàm optimè sciamus.neque existimemus orationes omnes in graui,philosophiam in mediocri,epistolas in attenuata figura scriptas esse.Nulla enim ferè oratio est, in qua non omnia hæc genera reperiantur.Narrationes enim plerũq; in attenuata sunt: exordia in mediocri:confirmationes,& confutationes,& conclusiones,præsertim in quibus miseratio captatur,plerunq; in graui sunt, nunquam in attenuata:quod ex pondere sententiarum, figurisq; uerborum deprehendi facile potest. Habet enim hæc figura tanquam fluuium quendam dicendi,effunditq; omnes habenas eloquentiæ: uehementiam uerò tantam,ut animos non mouere, sed cogere uideatur. Attenuata huic contraria, nullas translationes,aut figuras habet:neruos tamen sermonis non amittit. In hoc genere comœdiæ scriptæ sunt,tametsi insurgunt illæ nonnunquam,iratusq; Chremes (ut ait Flaccus) tumido delitigat ore. In hac figura epistolæ à nobis,nisi grauior res urgeat, magna ex parte scribendæ sunt.Est enim difficilior iã nobis attenuata,quàm grauis ueteribus unquam fuit,propter linguæ latinæ desuetudinem,atq; amissionem, & propter discendi difficultatem.Licet tamen & ex humili

in mediocrem, grauemq́; ascendere, & e graui in mediocrem atq; humilem, non tamẽ repente, sed per quosdam quasi gradus sensim descendere, ut uenisse in eam, non cecidisse uideamur. Mediocris *inter utranq; posita, neq; hanc humilitatem, neq; illam sublimitatem omnino retinet.* Distinguitur *tamen & illa figuris, & luminibus orationis: & quia utriq; finitima est, faciliorem tum ascensum, tum descensum habet.* In *hoc genere historiæ sunt magna ex parte conscriptæ: orationes tamen* Li*uianæ præsertim, ad grauẽ plerunq; cõscendunt.* In *hoc genere magna ex parte orationes à nobis hodie scribi debẽt, qui forense illud dicendi genus exercere non possumus, & in laudationibus plerunq; uersamur.* Licet *etiam in hoc genere epistolas scribere, præsertim eas quæ materiam habent grauiorem.* Videndum *aũt est, ne in finitima his figuris uitia dilabamur.* Nam *dum graues esse cupimus, solemus nonnunquã tumidi fieri, si uel crebris atq; extraneis translationibus, uel frequentibus ac poeticis adiectiuis orationem repleamus: qualia sunt in* Petronio, Martiano, & Apuleio *multa, quædam etiã in* Hieronymo *nostro, præsertim ubi de beata* Virgine, *aut inferis loquitur.* In *quod uitium multos quoq; de nostris incidere hodierna die uideo, qui se tum demum latinè atq; ornatè loqui putant, quum poeticis adiectiuis, atq;*

trans=

translationibus orationem duram ac difficilẽ red dunt. Attenuatæ contrà figuræ uitiũ eſt, quũ con iunctiones ac neruos orationi detrahimus, quod in ſermone quotidiano fieri uidemus: quale eſt, Tu nunquam ad me ſcripſiſti, ego ſcripſi ad te ſæpe: Tu non ſcribis ad me, ego non ſcribam ad te: Amicitia mea tibi iucunda non eſt, mihi tua iucunda non erit. Hæc oratio neruos non habet. Adduntur autem nerui ſic: Quum ego ad te ſæpe ſcripſerim, tu ad me nunquam ſcripſiſti: Quod ſi poſthac ſtatueris non ſcribere, ego quoque ad te non ſcribam: Nam ſi tibi amicitia noſtra non eſt iucunda, tua quoq; mihi iucunda non erit. Atq; hæc figura quoniã uſitatior, & intellectu facilior eſt, exemplum appoſui. Habet enim grande & perſpicuum uitium. In cæteris, in quibus uitia uel minora, uel occultiora ſunt, non appoſui. Mediocris autem figuræ uitium eſt, quum quaſi ſine ſanguine, neruiſq́;, ſententias coaceruamus potius, quàm componimus: & orationi tenorem illum, uigoremq́; ſubtrahimus, qui intelligi magis, quàm dici poteſt. Sed quoniam hæc ſunt à Cicerone, & ab alijs ueteribus, noſtriſq́; copioſe, ornateq́; perſcripta, à nobis uerboſius tractanda non ſunt.

De

De uirtutibus elocutionis. Cap. XIX.

Reliquū est, ut de uirtutibus elocutionis pau= ca dicamus. Habet aūt *tres maximas, præcipuasq; uirtutes elocutio, perspicuitatem, ornatum, com= positionem: quæ cæteras omnes complectuntur.* Perspicuitas *tamen in singulis uerbis, tum in ipsa compositione, & ordine consideratur.* Verba *sin gula & propria, & usitata, & latina sint neces= se est.* Propria *sunt, quæ uniuscuiusq; rei conce= ptum propriè accommodateq; significant.* Quo *in genere sordida, obscœna, & humilia uitanda sunt: quamuis sint eius, quam exprimere uolu= mus, rei propria. Sordida existimantur dictu, quæ ab oculorum aspectu remoueri solent: ut offi cia corporis necessaria, eorumq; membrorum & officiorum uocabula.* Obscœna *sunt ea, quæ ta= metsi cum honestate fieri nonnunquam poßint, dici tamen sine uerborum fœditate non possunt: ut dare operam liberis, & quæ eiusdem generis omnibus nota sunt: quæ quidem tam honestè dici, quàm fieri debent.* Humilia *sunt, quæ infra lecto= rum, aut auditorum, aut etiam eius ipsius qui lo= quitur, dignitatem sunt: ut si apud* Pontificem, et *sacrum collegium, asinos, mulos, instrumenta ru= stica singillatim, aut uilia domus officia nomine= mus:*

mus: quæ quidem aut silentio prætereunda, aut honestioribus uocabulis nominanda sunt. Propria item sunt, quæ quum uocabulo careant, ad similitudinem referuntur: ut iaculari, quod tam de pilis & sudibus, quàm de iaculis dicimus, quia pilari & sudari non dicimus. Item lapidare, non solum de lapidibus, sed de glebis quoq;, & testis, & similibus dicimus, quæ uocabula propria non habent. Vertex item est aquæ reuolutio, & quicquid in se uertitur: per similitudinem tamen & capitis, & montis cacumen dicimus. Propria etiam sunt, quæ usus alicui certæ significationi accommodauit: ut ueteres, qui urbis nomine Romã tantum intelligebant, quamuis aliæ multæ urbes essent: & nos, qui Philosophi nomine Aristotelem, Apostoli Paulum intelligimus, quamuis & philosophi alij, & apostoli fuerint. Denique, ut breuiter dicam, propria sunt, quæ id quod uolũmus, auditori maximè apertißimeq; declarãt, & (ut Fabius ait) non auditu, sed intellectu perpendenda sunt. Latina autem uerba sunt, quæ ueterũ scriptorum autoritas, & Romanæ linguæ consuetudo comprobauit. Quo in genere Græca multa ita iam in usum recepta sunt, ut si quis eadem latinè uelit exprimere, non intelligatur: ut Apostolos, Prophetas, episcopos, euangelia, theologiam, angelos, & alia multa, quæ appellare latina audet

det nemo. Quædã etiam hebræa uocabula ita recepimus, ut mutare ea nefas ducamus, ut cherubin, seraphin, sabaoth, osanna, alleluia, & similia. Quod si quando de sacris rebus scribamus, aut dicamus, illis abstinere neq; debemus, ne religionem odisse uideamur: neq; possumus. quia si latinè hæc dicere uelimus, à nemine prorsus intelligeremur. Ea item, quorum res inuentæ nuper sunt, uocabula reformidare non debemus. qualia sunt, Cardinales, bombardæ, campanæ, staphæ, et cætera: quorum quum res nuper inuentæ sint, uerba quoq;, quibus res illæ exprimantur, in consuetudinem admittenda sunt, ne uel aliud dicere uelle, quum loquimur, uel alio nati seculo, uel nolle omnino intelligi uideamur. Vsitata uerò nõ omnia sunt, quæ latina. Ea enim quæ uel in duodecim tabulis, uel in libris pontificum, uel in comœdijs, tragœdijs, scriptisq; eorum qui ante Ciceronem fuerunt, latina quidem esse nemo dubitat: sed etiam ipso Ciceronis tempore ex usu remota, atq; antiquata erant. proptereaq; minus bene ac perspicuè loqui existimandus est Gellius, qui non modò à uerbis illis non abstinet, sed ea etiam affectat, & quærit. Contrà ea quæ posteriores philosophi, theologi, et iurisperiti in consuetudinem adduxerunt, uerba magna ex parte fugienda sunt, atq; ad Ciceronianum illum candorem, & perspicuitatem.

ſpicuitatem omnis linguæ conſuetudo reuocanda, modò uel apud Ciceronem, uel apud alios magnæ autoritatis ſcriptores ea uerba reperiantur. Si uerò conceptus aliquos uel in philoſophia, uel in theologia exprimere uelimus, qui ueteribus uel intacti, uel incogniti fuerint: non propterea debemus uereri quominus quoquo modo exprimamus, aut uoces de integro effingamus, aut inuentas molliamus, aureſq; illis noſtras aſſuefaciamus: neq; propterea eos qui id fecerunt, Cyprianum, Lactantium, Hieronymum, Auguſtinum, innumerabileſq; alios doctiſsimos uiros, barbaros aut imperitos appellare debemus: ſed omnia ad doctiſsimorum hominum autoritatem, conſuetudinemq; referre. Atq; hæc in ſingulis uerbis breuiter obſeruanda eſſe cenſeo.

De uitiis compoſitionis. Cap. XX.

In compoſitione autem, & contextu ipſo, multa & magna uitia committuntur, quæ non modò difficilem atque obſcuram, ſed ineptam quoq; & inconcinnam orationem reddunt. Nos ex illis quædam maximè inſignia annotabimus, ut ex illis cætera cognitu faciliora ſint. Ante omnia igitur, ſi dilucidi eſſe cupimus, longiſsimas illas comprehenſiones, quas περιόδους Græci uocant,

cant, fugiemus, ne lectoris aut auditoris intentio prosequi ingenio nostram orationem non poßit. Item tardam, & diu dilatam uerborũ tractationem, quod Græci ὑπέρβατον uocant, magnopere uitabimus, ne multis interiectis uerbis, finis demũ sententiæ oblito iam lectore consequatur: qualia uitia sunt in procemio Prisciani. His finitimæ sunt longæ, crebræq; sententiarum interpositiones, quas Græci παρενθέσεις uocãt: quas neq; frequentes, neq; longas eße conuenit, ne lector aut principalis sententiæ obliuiscatur, aut ita utranq; secũ implicet, ut neutram intelligat. Videndum præterea est, ne uerba ita texamus, ut uel ancipitem, uel obscurum intellectum reddant. Quale est illud, Saxa uocant Itali medijs quæ fluctibus aras: aut illud, Aio te Aeacida Romanos uincere posse: quo loco & uictos, & uictores Romanos possumus accipere. Videndum item est, ne dum copiosi, aut elegantes, aut ornati esse cupimus, inani quodam strepitu, circuituq; uerborum, & (ut ait Quintilianus) copiosa loquacitate longißimam & incomprehensibilem uerborum seriem, sine ullo rerum pondere, aut conclusione faciamus: qua in re nonnulli maximè laborãt, rati se tunc maximè doctos atq; elegantes existimatũ iri, si à quàm paucißimis intelligantur. Alij contrà breuitati studentes, uerba, nomina, coniunctiones,

ctiones, et cæteras partes ex oratione detrahunt: rati aut se ita breues fore, si necessaria omiserint: aut cæteros ea intelligere, quæ ipsi intelligant. Nonnulli uerba quidem clara, & suo ordine collocant: sed ita, ut nullus ex his, aut quàm occultißimus sensus emergat, ita ut oporteat lectorem sensus illos non quasi alienos intelligere, sed quasi suos magno labore excogitare, atq; inuenire, quæ quidē ἀδιανόητα à Græcis uocantur. Danda igitur opera est, ut lector atque auditor non modò poßit nostram orationem intelligere, sed ut non poßit eam, etiam si uelit, non intelligere. Quod quidem obtinebimus, si, ut antè diximus, uerbis proprijs, latinis, & usitatis utemur. Nam emendatè loquēdi ratio, quam Quintilianus adiungit, ad grammaticam institutionem pertinet. Item si comprehensionibus non longis, neq; interiectione sententiarum, aut traiectione uerborum, aut ancipiti contextu sententias obscurabimus. postremò, si neq; orationi quicquam detrahemus, neq; superuacuū diffluere patiemur, neq; sententias de communi usu remotas atq; abhorrentes excogitabimus. Est enim, ut ait Cicero, uitium in oratione uel maximum, à uulgari genere orationis, & à consuetudine communis sensus abhorrere. Quod quidem uitium quum semper magnum fuit, tum hoc præcipuè tempore uel maxi-

Q mum,

mum,uel maximè fugiendum est. Nam neq; omnes literis delectantur: neq; hi qui delectantur, hoc dicendi genere delectantur. Præterea quàm paucißimi ex his quorum gratia uel dicimus, uel scribimus,ita docti sunt,ut poßint nos,si obscurius loquamur, etiã diligentius attendentes intelligere. Dabimus itaq; operã, si intelligi cupiemus, ut nostra oratio ita in animos lectorum atq; auditorum,ut sol in oculos, etiam inuitos ingruat, atq; incurrat. Illa præterea in compositione uitia fugienda sunt,quæ ineptam,insulsam,atq; inconcinnam orationem reddunt. ut frequẽs uocalium earundem concursus:quale esset, Herculea arma ænea allata sunt. quod uitium uastam,atq; hiantem orationem reddit. Item huic contrarius creber multarum consonantium quasi conflictus, qui difficilem pronunciatu reddit orationẽ: quale esset, Xerxes strangulauit Ptolemæum. Itẽ eiusdem literæ crebra repetitio:ut in hoc uersu, O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti. Itẽ eiusdẽ dictionis frequẽs sine decore atq; ornatu repetitio: ut, Si homo cogitaret,quanti hominis uita est,nullus homo hominis gratia homines occideret. Vitandus est etiã ille contextus uerborũ,qui uel sonũ turpẽ,uel obscœnũ reddit:ut, Cũ nostro exercitu, et Dorica castra, et similia. Vel sensum efficit talẽ, qui etiã in obscœnã partẽ accipi potest:quale est,

est, Incipiunt agitata tumescere. Vtrunq; autem à græcis καπέμφατον dicitur. Item ille uitiosus contextus est, qui in numerum poeticum desinit: ut, Da animas nobis, cætera tolle tibi. & illud in priore Lucilij libro, Hás res ad te scriptas Luci misimus Aeli. Item uitiosa sunt crebra similiter cadentia: ut, In conspectu tantorum doctorũ uirorũ, sapientißimorũ oratorũ, quis audeat uerba facere? Quæ quidẽ uitia tametsi obscurã orationẽ nõ reddũt, æque tamẽ, atq; obscuritas, lectorẽ atq; auditorẽ auertunt: atq; haud scio, an etiã magis. Nam obscuritas auditoris uidetur arrogantiã arguere; & quoquo modo attentũ eum reddit, ut si qua ex parte poßit, quæ dicantur intelligat. Incõcinnitas uerò & auditori quamuis imperito fastidium affert, & scriptoris ignorantiã atq; stultitiã ostendit apertè. Dabimus itaq; operam, ut & perspicui in scribendo, dicendoq; simus, & hæc atq; alia his similia in compositione uitia declinemus.

De ornatu. Cap. XXI.

Sequitur, ut de ornatu, quam secundam esse uirtutem elocutionis diximus, pauca disseramus. Nam ubi oratio proprijs latinisq;, ac usitatis uerbis assecuta fuerit, ut perspicuè ab omnibus intelligatur, tum quibusdã quasi coloribus depingenda atq; illustranda luminibus erit, ut & aures delectet, & animũ mira quadã lectionis suauitate per

mulceat. quæ quidem quo modo aut inuenienda, aut collocanda sint, magna ex parte natura ipsa docebit, atq; ad locos illos filo quodam, & ordine orationis quasi manu ducet. Non enim hæc tam ab arte, quàm ab ingenio, ac natura ipsa, meo iudicio, proficiscuntur. nullis enim præceptis, nullo artificio tradi potest, quo loco unamquamq; figuram disponere & collocare conueniat. Huc accedit, quòd in sermone etiam quotidiano, & communi lingua illiterati homines nõ illis modò quæ arte traditæ sunt, sed alijs quoq; & multo pluribus, nullo docente, utuntur. quod quum ita sit, fatendum est aut hæc à natura, non ab arte proficisci, aut homines cum arte nasci: quod quidem quũ stultißimum sit, illud profectò sequitur, hæc à natura primùm profecta esse, deinde à doctißimis uiris obseruata: & quia conferre ad dicendum uidebantur, in artem præceptionemq; redacta. Obseruauerunt autem hæc primùm Græci, eáq; in artem & præcepta redigentes, suis nominibus appellauere. Nobis, quibus illa adhuc incognita atq; inaudita erant, maiora ac difficiliora ob nominum nouitatem uidebantur. Nostri deinde illa scribentes, atq; omnia ad patrium, hoc est Romanum sermonẽ reuocantes, latinis uocabulis nominauere. Sed qui parũ periti linguæ græcæ sunt, alia putant esse quæ græcè audiunt, alia quæ latinè,

tinè: neq; esse eandem figuram ὑπερβολὴν & superlationem, atq; illo nominum inusitato & incognito sono decipiuntur. Nos & latinæ linguæ, & discentium utilitati consulentes, eas & latinis nominibus appellabimus: & ubi se nobis græca obtulerint, etiam Græcis signabimus: ut & qui hæc latinè scire uolunt, habeant, quibus ea uocibus poßint appellare: & qui græcè scripta apud alios legunt, alia esse non credant. Appellantur hæc autem à Græcis partim τρόποι, partim σχήματα, eo quòd uertant, formentq; sermonem: à nostris tum figuræ, tum exornationes, siue ornamenta, eo quòd exornent, effingantq; orationem: tum per similitudinem colores, aut lumina, quòd orationem ipsam pingant, & illustrent. Sunt autem figuræ, quibus in sermone utimur, tam multæ, ut nihil sine figura loquamur. Nam quum figura sit formatio quædam, compositioq; sermonis à uulgata illa, & se primùm nobis offerente loquendi ratione discedens, & ad uariandam atque illustrandam orationem excogitata, quis obsecro ualeat modos omnes, quibus oratio uariari aut illustrari potest, præceptis, aut nominibus comprehendere, quum quotidie etiam in sermone communi innumerabiles reperiantur? Nos autem, ne partem hanc neglexisse uideamur, paucißimos atq; usitatißimos attingemus: reliquos

ſcire qui uolet, apud Ciceronem, Quintilianūq; à quibus nos hæc accepimus, facile inueniet.

De figuris uerborum. Cap. XXII.

Igitur quum ab eodem uerbo membrum, uel comprehenſiones ſæpe inchoamus, repetitio à nobis, à Græcis ἀναφορὰ *dicitur, hoc modo: Scipio Numantiā ſuſtulit: Scipio Carthaginē deleuit: Scipio pacem peperit: Scipio ciuitatem ſeruauit. Contrà, quum in idem uerbū ſæpe deſinimus, conuerſio, ſiue* ἀντιστροφὴ *appellatur, hoc modo: Pœnos populus* Romanus *iuſtitia uicit, armis uicit, libertate uicit. Quum autem & ab eodem inchoamus, & in idem deſinimus, ex ambabus his figuris una fit, quæ complexio, ſiue* συμπλοκὴ *nominatur, hoc modo: Qui ſunt, qui fœdera ſæpe ruperunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui in Italia crudele bellum geſſerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui Italiam deformauerūt? Carthaginenſes. Quum uerò idem uerbū in media oratione cum dignitate & concinnitate in diuerſis caſibus ſæpe repetitur, Traductio, ſiue* πλοκὴ *nuncupatur, hoc modo: Qui nihil habet in uita iucundius uita, is cum uirtute uitam non poteſt colere. Quū autem cōmiſerationis, uel alterius affectus mouendi gratia, unum, uel plura uerba mutato ordine iterantur,*

rantur, Conduplicatio, siue ταυτολογία dicitur, hoc modo: Pudet iudices, pudet hac de re toties uerba facere. Item, Nunc etiam audes in horum conspectum uenire, proditor patriæ, proditor inquam patriæ uenire audes in horum conspectum? Quum quasi per gradus quosdam à uerbo in uerbum cum antecedentis repetitione descendimus, Gradatio fit, quæ κλίμαξ appellatur, hoc modo: Africano uirtutē industria, uirtus gloriā, gloria æmulos comparauit. Atq; his potißimum figuris cum dignitate uerba repetuntur.

Contentio, siue Contrarium, quod ἀντίθετον dicitur, est, quum ex contrarijs uerbis, ac rebus sibi respondentibus sententia conficitur, atque id quod uolumus probatur, hoc modo: Habet assentatio iucunda principia, eadem exitus amarißimos affert. Item, Qui suis rationibus inimicus semper fuit, eum quomodo rebus alienis amicum fore speres? Atque has duas figuras, quum & eiusdem generis sint, & parum inter se discrepent, de industria coniunxi. Differunt autē hoc modo. Nam Contrarium urget, & ex re contraria probat, quod uult: Contentio neq; urget, neq; quicquam probare uult, sed plerunq; reprehendit: quod ex superioribus exemplis apparet.

Exclamatio est, quæ animi affectum ostendit, per loci, aut rei, aut hominis absentis, siue de-

functi compellationem,hoc modo: Te nunc alloquor Africane,cuius mortui quoq; nomen splendori ac decori est ciuitati.Item,ô singularem audaciam,ô perfidiam incredibilem.

Interrogatio dignitatem atq; ornamentum affert orationi,quum ex antedictis urget,fateriq; compellit,hoc modo: Quum igitur hæc faceres, ac diceres,num rempub.conseruabas? num socios in fide retinebas?

Membrum, quod κῶλον dicitur, est oratio breuis:quæ tametsi sententiam absolutam habet, aliam tamen expectat,quæ ei per coniunctionem plerunque annectitur: iugunturq; duo aut plura membra simul,hoc modo: Et inimico proderas, hoc unum membrum est:Et amicum lædebas,hoc est alterum. additur & tertium sic, Et tibi ipsi non consulebas.Item,Nec rei consuluisti, nec amicis profuisti, nec inimicis restitisti: quæ quidem Græci τρίκωλα uocant.

Articulus,qui ἀσύνδετον dicitur,est,quoties uerba singula sine coniunctione per se quadam cum uehementia collocantur,hoc modo:Acrimonia,uoce,uultu,gestu,inimicos perterruisti.

Compar est, quum duo aut plura membra paria, quantum fieri potest, sine coniunctione ponuntur: ut, In prælio mortem pater oppetebat,domi nuptias filius comparabat. Hæc omnia graues

graues casus administrabant. atq; hæc ἰσόκωλα à Græcis appellantur.

Similiter cadēs, quod ὁμοιόπτωτον dicitur, est, quum plures dictiones in eadem oratione per casus similes efferuntur. ut, Hominem laudas egentem uirtutis, abundantem fœlicitatis.

Similiter desinens, quod ὁμοιοτέλευτον uocatur, est, quum in easdē syllabas desinunt ea quæ casibus carēt, sic: Turpiter audes facere, nequiter studes dicere: Viuis inuidiose, delinquis studiosē, loqueris odiose. Coniunguntur hæ duæ figuræ simul, hoc modo: Perditißima ratio est, amorem petere, pudorem fugere, diligere formam, negligere famam.

Annominatio, quam παρωνομασίαν uocant, est, quū penè eandē dictionē, mutata significatione, per iocum, aut per dicacitatē repetimus. Ea fit cōmutatione, additione, imminutione literarum. ut, Hic mero, non Homero operam dat. Item, Hic qui se magnificè iactat, uenit à te antè, quàm Romam uenit. Item, Hic sibi posset obtemperare, nisi amori mallet obtemperare. Atq; huius allusionis plures species sunt, quàm ut à nobis breuiter explicari poßint. Sed ut à lepido ingenio facile excogitantur, sic à stolido frustra conquiruntur.

Definitio est, quæ breuiter, quid quæq; res sit, & quæ sit natura eius, ostendit: uel dialectico mo

do pergens ad differentias proprias.ut, Auaritia est cupiditas pecuniæ congregandæ sine erogatio nis uoluntate. Vel oratorio modo sic: Auaritia est, quæ pecuniam congregat, neq; sibi, neq; alijs quicquam impartit, neq; unquam habendi cupiditate satiatur. quæ quidem potius Descriptio potest appellari.

Transitio est, quæ breuiter, & quid dictum sit, repetit: & quid sit dicendum, proponit. hoc modo: Audistis patres, qualis fuerit Thomæ uita: audite nunc, si placet, qualis fuerit eius uiri doctrina.

Correctio est, quæ tollit id quod dictū est, & pro eo id quod magis idoneum uidetur, reponit, hoc pacto: Quod si iste suos hospites rogasset, imò ipse innuisset modò, hoc facile perfici posset. Item,, Hoc offendit existimationem nostram, immo uerò dignitatem, atque adeò salutem ipsam euertit.

Occupatio est, quum dicimus nos præterire, aut non scire, aut nolle dicere id quod maximè dicimus, hoc modo: Non dico, te ab socijs pecunias accepisse: non sum in eo occupatus, quòd ciuitates, regna, domos omnium depopulatus es: furta, rapinas omnes tuas omitto.

Disiunctio est, quum singulis membris sua uerba damus, sic: Populus Romanus Numantiam

sustulit,

ſuſtulit, Carthaginem deleuit, Corinthum euertit.

Coniunctio eſt, quum uerbum unicum, & illud in medio collocatur, ſic: Formæ dignitas aut morbo defloreſcit, aut uetuſtate.

Adiunctio eſt, quum uerbum aut præponitur, aut poſtponitur. Præponitur, ſic: Defloreſcit formæ dignitas aut morbo, aut uetuſtate. Poſtponitur, ſic: Aut morbo, aut uetuſtate formæ dignitas defloreſcit.

Interpretatio eſt, quum idem per diuerſa uerba ad rem exaggerandam, & animos commouendos repetimus, ſic: Patrem nefariè uerberáſti: Parenti ſceleratè manus intuliſti. Quòd ſi longior ſententia diuerſis uerbis repetatur, Expolitio dicitur.

Commutatio, quæ ἀντιμεταφορὰ dicitur, eſt, quum duæ contrariæ ſententiæ, mutatis tantum uocibus uerborum, aptè ſimul concluduntur: ut, Oportet eſſe, ut uiuas: nõ uiuere, ut edas. Item, Dicere quæ non ſentio, licet: quæ ſentio, non licet.

Permiſsio eſt, quum id in quo uel ſalus noſtra, uel res alia conſiſtit, ex deſperatione rerum noſtrarum alienæ poteſtati permittimus, ſic: Amiſsis iam omnibus, uita ſola ſupereſt: eam uobis totam permitto, ac dedo: uos, ut placet, utimini, atq; abutimini: de me, ut uultis, ſtatuite.

Dubitatio eſt, quũ quærimus, quid ei rei quã di

cere uolumus, uerbum accommodatum sit, hoc modo: Quæ ista tua est siue imprudentia, siue stultitia, siue utrunq;? Dubitamus enim quo eam nomine appellemus.

Expeditio est, quum pluribus rationibus enumeratis, cæterisq; confutatis, unam quam uolumus, nos sequi necessariò ostendimus, hoc modo: Quoniam habes hunc equum, aut dono, aut hæreditate, aut præda, aut furto habeas necesse est. Amicum, qui tibi dono eum dederit, non habes: hæredem te per hos annos nemo scripsit: in exercitu nunquam fuisti: relinquitur ergo, ut eum furto sustuleris. Sed hæc figura inter argumentationes est dicta.

Dissolutio, quam βραχυλογίαν appellant, est, quum plura membra sine coniunctionibus per interualla proferimus, sic: Gere morē parenti: pare cognatis: obsequere amicis: obtempera legibus.

Præcisio est, quum dictis quibusdam id quod dici cœpit, imperfectum relinquitur, ad suspicionem, uel atrocitatem augendam, hoc modo: Tu hoc audes dicere, qui nuper, sed præ turpitudine dicere id non audeo. Plus hic est quod suspicatur auditor, quàm quod ille dicturus fuisset.

Conclusio est, quum breui argumentatione id quod uolumus, ex antedictis necessariò consequi ostendimus, sic: Si hæc urbs seruari sine commeatu

*meatu non poterat,*Pompeius *autem & pecuniam, & naues ad commeatum emendum, atq; aduehendum contulit,*Pompeius *nimirum hanc urbem seruauit.*

Nominatio, *quæ* ὀνοματοποιΐα *dicitur, est, quum nomen aliquod nouum rei, quæ satis idoneum non habeat, accommodamus.* Ea *fit duabus de causis, imitationis, & significationis gratia: imitationis, quum ex similitudine aliarum uocum aliquam fingimus, sic:*Nam *ut maiores nostri philosophari dicebant eum qui philosophiæ operam dabat, sic nos astrologari hũc hominem dicimus.* Quum *aliquid significare & exprimere uolumus, sic:*Conscendit *equum, atq; in staphis substitit.*Nomina *tamen hæc & rarò & necessariò & dilucidè fingenda sunt.*

Pronominatio, *quæ* ἀντονομασία *dicitur, fit, quum aliquem uel laudis, uel ignominiæ causa quodam quasi cognomine appellamus: ut si quem nouum,* Cæsarem *appellemus: aut si inuidum,* Zoilum: *pumilionem,* Atlantem: *aut ignauum,* Herculem, *deridendi gratia nominemus.*

Denominatio, *quæ* μετωνυμία *dicitur, est, quum à propinquis & finitimis rebus aliquid nominamus. ut inuentum ab inuentore: ut quum* Liberum & Cererem, *pro uino & frugibus ponimus. uel contrà inuentorem ab inuento: ut quũ*

uinum

uinum, & fruges, pro Baccho & Cerere ponia mus. Item dominum ab instrumento: ut si quis de Gallis loquens, dicat, Expulsæ sunt ex Italia tandem pallæ, quæ uestes eorum sunt. aut si quis rusticos, uomeres, aut ligones appellet. Item id quod fit, ab eo qui facit: ut si Martem, bellum appellemus: aut tardos, & frigidos, Saturnos uocemus. Item quum qui facit, ab eo quod fit: ut si pigram hyemem, aut desidiosam artem dicamus, quæ pigros & desidiosos homines reddit. Item id quod continetur, ab eo qui continet: ut si Italiam aut Galliam, pro Italis aut Gallis dicam. Item id quod continet, ab eo quod continetur: ut quum argentum & aurum pro uasis & diuitijs nominamus. Hæc figura species quamplurimas habet, quæ usu magis quàm præceptis discuntur. Sed uidendum est, ne in denominando, aut ab usu recedamus, ut obscuriores simus: aut in poeticas denominationes dilabamur, quæ in oratione soluta uitiosæ sunt. Sed hoc nos oratorum lectio, & usus ipse doceat, necesse est.

Circuitio, quæ περίφρασις *dicitur, est, quum ornandæ rei gratia id quod paucioribus uerbis dici potest, pluribus dicimus, sic: Scipionis prudentia Carthaginis opes fregit. poteram dicere, Scipio Carthaginem sustulit, nisi circuire ornandi gratia maluissem.*

Trans-

Transgreßio, quæ ὑπέρβατον dicitur, est, quæ uerborum perturbat ordinem non solum sine obscuritate, sed etiam cum dignitate ad poeticum quendam numerum, qui non dedecet oratorem. Ea fit uerbis nunc præpostero ordine collocatis: ut, Magna cum laude tua dixisti. nunc in partem aliam traiectis: ut, Non ueni ad te ob eum, quem ex patris morte cepi, dolorem.

Diminutio est, quum rem quampiam oratione attenuamus uel euitandæ arrogantiæ causa: ut, Dedi operam, ut artem dicendi non in postremis tenerem. Vel inuidiæ fugiendæ causa: ut, Habeo patrimonium non tenuißimum. Superius uitauimus, ne diceremus Optimè tenerem, quod arrogans esset: hic, ne amplißimum patrimonium appellaremus, quod inuidiosum fuisset.

Superlatio, siue ὑπερβολὴ, est oratio superans ueritatē, augendi, minuendiue gratia: ut, Si concordiam retinebimus, magnitudinem imperij solis ortu & occasu metiemur. Fit & per similitudinem: ut, Igneum aspectu ardorem æquabat. & per comparationem: ut, Dulcior melle ab ore eius fluebat oratio.

Intellectus, qui νόημα dicitur, est, quum uel à toto pars intelligitur: ut si preciosas uestes ostentanti dicam, Ostentas mihi diuitias tuas. uel à parte

à parte totum:Non te illa sanctißima limina, illæ aræ sacratißimæ commouebant: quæ partes templum uniuersum repræsentant. Item quum plura ab uno intelliguntur.ut, Miles Romanorũ uictor extitit:id est milites; Romanorum.uel unũ à pluribus:ut, Turbasti mea pectora quũ pectus unicum habeamus.

Abusio,siue κατάχρησις est, quæ uerbo simili,& propinquo, pro certo et proprio abutitur: ut quum longum consilium,& breues uires dicimus, quæ impropria sunt. Nam metiri ea non possumus,sed tamen non inconcinnè usurpamus.

Translatio,siue μεταφορὰ est,quum uerbum ex propria re in aliam per similitudinem quandam cõcinnè,perspicueq; transfertur. Ea fit multis modis:quippe qua plenus sit quotidianus sermo.nos exempli gratia paucos subijciemus. Obscœnitatis uitandæ gratia,sic: Eius mater quotidianis nuptijs delectatur. Ornandi gratia,sic: Eloquentia,quæ hactenus aruerat, tua industria reuirescet. Rei antè oculos ponendæ gratia, sic: Hic tumultus sopitas hominum mentes expergefecit. Augendi gratia,sic: Nullæ opes famẽ istam tuam explere possent. Minuendi,sic: Mihi fortuna cœpit paululum aspirare. Cæteri modi usu & natura percipientur.

Permutatio est,quum tota oratio aliud dicit, & aliud

& aliud intelligit: hanc διαλλαγὴν græcè possumus appellare, tametsi eã Consummatione Quintilianus uocet. ea fit per similitudinem, sic: Quum canes fungantur officio luporum, cui iam pecuaria committemus? Per contrarium: ut si diuitem Irum, pauperem Crœsum, impium Aeneam appellemus: quæ, ut dixi, natura magis quàm arte percipiuntur. Ac de exornationibus uerborum satis sit dictum. Nunc de illis, quæ non pluribus uerbis, sed tota sententia constant, paucas attingemus.

De figuris sententiarum. Cap. XXIII.

In illis autem obtinet primum, meo iudicio, locum, ea quæ dicitur Sententia, quæ γνώμη appellatur à Græcis. Ea est oratio de uita, & moribus sumpta, quæ breuiter quid sit, aut quid esse oporteat, ostendit, hoc modo: Liber is est existimandus, qui nulli turpitudini seruit. Item, Auaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupiuit. Item, Possessio diuitiarum, & formæ gloria, fluxa atque fragilis est: Virtus clara, æternaque habetur. Quibus quidem sententijs & Salustius in procemijs, & Seneca in omnibus suis libris pleni sunt.

Ratiocinatio est, per quam ipsi à nobis quæ-

rimus, quare unumquodque dicamus: & nostris interrogationibus ipsi respondemus, hoc modo: Maiores nostri, si quam unius peccati mulierem damnabant, simplici in iudicio multorum maleficiorum conuictam putabant. Quo pacto? Quoniam quam impudicam iudicarant, eam ueneficij quoq; damnatam existimabant. Quid ita? Quia necesse est eam, quæ suũ corpus addixerit turpissimæ cupiditati, timere permultos. Quos istos? Virum, parentes, cæterosq;, ad quos uidet sui dedecoris infamiam pertinere.

Diuisio inter figuras nominatur, quum rem in duo membra diuidimus, atque utrunque breui ratione concludimus, sic: Cur ego nunc tibi obijciam quicquam? si probus es, non meruisti: si improbus, non commoueare.

Frequentatio, quam συναθροισμὸν Græci uocant, est, quum res in tota causa dispersæ unum in locum accumulantur, quo grauior atq; acrior fiat oratio: ut si quempiam laudauerimus, eiusq; uirtutes multas enumerauerimus, deniq; sic eas in unum congregemus: Qualis igitur uobis uideri debet, qui tam pius in patriam extitit, tam liberalis in suos, tam officiosus in omnes, tam mansuetus, æquus, modestus, omnibus denique ob suas uirtutes charus?

Similitudo, est oratio quæ ex re dißimili aliquid

quid simile ad rem, de qua loquimur, accommodat. Ea fit ornandi gratia per similitudinem, sic: Non sicut in uestibus, ea peßima quæ diutißimè durauit: sic in amicitia, is deterrimus qui uetustißimus: uestis enim usu teritur, amicitia diuturnitate perficitur. Hæc similitudo per contrarium dicitur, quia uestis amico contraria est: fit autem ornandi causa, quia illa poterat carere oratio. Fit etiam probandi gratia per negationem, sic: Neq; equus indomitus, quamuis natura bene compositus sit, idoneus potest esse ad eas utilitates, & aptus, quæ desiderantur ab equo: neq; homo indoctus, quamuis ingeniosus sit, ad uirtutem potest peruenire. Hoc probabilius factum est exemplo equi, cuius ratio similis uidetur esse. Dictum aũt per negationem, quia res utraq; negatur. Fit item similitudo, apertius dicendi causa per breuitatem, sic: Amicitia ut uestis dissuenda magis, quàm laceranda est. Hic eadem oratione, utraque res breuiter est conclusa, & apertißimè dictũ quod uolebamus. Fit postremò per collationem rei ante oculos ponendæ gratia, quod ad poetas maximè pertinet, hoc modo: Sicut citharœdus preciosißimis uestib. indutus, corona aurea, cithara pulcherrima, atq; ornatißima, cæterisq; rebus, quæ expectationem concitare possunt, insignitus, si repentè silentio facto, peßimè atq; im-

 peritißi-

peritißimè canat, ab omnibus eijcietur, explodetur: ita, si quis in summis opibus, maximis naturæ ac fortunæ commodis constitutus, nulla uirtute ac doctrina præditus sit, ex omni cōuentu bonorũ eijcietur. Hæc similitudo per cōparationē ponit rem ante oculos: sed ut dixi, ad poetas maximè pertinet. Videndum tamen est, ut quum similitudinem rei nostræ applicamus, uerba ex ipsa similitudine in rem nostrã cōmodè et appositè transferamus, sic: Vt hirundines æstiuo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedũt: ita falsi amici sere no uitæ tempore præsto sunt, simulatq; fortunæ hyemem uiderunt, deuolant omnes.

Exemplum, quod παράδειγμα appellatur, est alicuius facti aut dicti præteriti cũ certi autoris nomine propositio, ad rem nostrã accōmodata. Id fit ijsdem de causis, atq; ijsdem rationibus, quibus similitudo: propterea exemplis non eget.

Conformatio, quæ προσωποποιΐα dicitur, est, quum absenti, aut mortuo, aut mutæ rei uocem atq; orationem tribuimus: ut si ciuitatem introducamus loquentem, aut aliquem ab inferis suscitemus, & loquentem faciamus: ut Cicero fecit pro Cælio, qui Appium Claudium Cæcum cum Clodia illa loquentem induxit.

Sermocinatio, quæ προσωποποιΐα ab alijs, ab alijs διάλογος dicitur, est, quum ijs de quibus loquimur,

quimur, sermonem ætati accommodatum damus: ut si de puero loquentes, pueri sermonem effinga mus: item si senem, mulierem, seruum, regem lo-quentem faciamus: quod in narratione rerum ge starum, dũ singula exprimere uolumus, atq; in hi storia & poemate fieri maximè solet. Dialogi item omnes in sermocinatione sunt positi. quæ res exemplis non eget.

Significatio, quæ ἔμφασις est dicta, appella-tur, quum suspicionis augendæ gratia plus mi-nus'ue dicimus, quàm ipsa res sit. Ea fit multis mo dis. Per exuperationem, quum ueram orationem transgredimur, hoc modo: Hic ex tanto patri-monio ne testam quidem sibi reliquit, qua ignem petat. Per ambiguum, quum uerbum plura signi-ficat, sed capitur in eam partem, quam uult is qui dicit: ut si de eo loquamur, qui pecuniam suam o-mnem alijs crediderit, & dicamus: Religiosus hic admodum uir est, multum enim & libenter cre-dit. Per consequentias, quum rem consequentem exprimimus, & antecedentem intelligi uolumus: ut si aratoris filium uelimus significare, dicamus: Tace tu, cuius pater festis tantum diebus humi spuebat. significamus per hoc, eum alijs diebus ma nus ad ligonem retinendum conspuisse. Sed hæc genera non nisi à facetißimis ingenijs excogita-ri possunt. nulla enim arte tradi queũt. Fit etiam

significatio per abscißionem, quum cœptam rem non perficimus, sed in suspicione relinquimus: ut, Scis te ista forma atq; ætate in aliena domo, nolo plura dicere. Hanc figuram pulcherrimè locus ille Iuuenalis ostendit: Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo. Fit etiam Significatio per similitudinem, quum re simili allata, satis significatum existimamus, quid uelimus dicere. ut si patriæ proditorem pœnas daturum significare uelimus, hoc modo per similitudinem significemus: Noli consilijs istis, aut opibus nimium credere: erat etiam ingeniosus & locuples Catilina. Hæc exornatio ad iocandum & mordendum accommodata est.

Breuitas, quæ βραχυλογία nuncupatur, est, quum rem uerbis tantum necessarijs perstringimus, hoc modo: Accitus ab isto Robertus Malatesta, Romam uenit, exercitum cogit, hostem prælio superat, paucis pòst diebus moritur. Breuius hoc nihil dici potest. Et de figuris hactenus.

De compositione. Cap. XXIIII.

Quoniã de tribus elocutionis partibus, quas suprà proposuimus, duæ iam absolutæ sunt, perspicuitas, & ornatus: reliquum est, ut de compositione, quæ tertia pars erat, breuiter disseramus. Non enim satis est, uerba propria & accommo=

commodata rebus inuenire, nostramq; oratio-nem figuris, & quasi luminibus quibusdam illu-minare, nisi hæc omnia structura quadam & or-dine componamus, & quasi contexamus. Quan-quam autem hac de re superius à nobis, quum de perspicuitate loqueremur, multa quæ ad ui-tiosam compositionem pertinent, sunt dicta, mul-ta etiam alijs locis, ubicunque se opportunitas ob-tulit, respersa: tamen, quoniam hic proprius e-ius locus est, quædam de ea separatim dicenda sunt. Danda igitur in primis opera est, quod sæ-pius repetere non uerebor, ut ita scribamus, ut ab omnibus etiam mediocriter eruditis facillimè intelligamur. quod quidem assequemur, si à com-muni quodam, & usitato genere orationis non abhorrebimus, nosq; totos ad illius Ciceroniani candoris & facilitatis imitationem conferemus: dabimusq; operam, ut fluere sponte oratio, non trudi atque impelli, & tunc maximè natura i-psa effundente prouenire, non artificio præ-scribente excogitari uideatur. Illa enim optima atque artificiosissima sunt, quæ nos facere nul-lo negotio posse confidimus. Nam si Cicero-nem, aut Salustium, aut alium quempiam eius temporis diligentius consideremus, nihil faci-lius existimabimus, quàm eorum in dicendo can-dorem & simplicitatem assequi. Quod si ten-

tare id, atq; experiri uelimus, nihil difficilius inueniemus. Texenda igitur ita nostra oratio est, ut naturalem illum candorem, & Romanæ linguæ simplicitatem, quantum fieri potest, præ se ferat. quod consequemur, si ea quæ in perspicuitate sunt à nobis præcepta, seruabimus, ut neque longiores ambitus faciamus, neque inter se uerba obscurè atq; ambiguè implicemus, neque sententias inusitato quodam modo, aut improprijs, peregrinisq; uocabulis inculcemus. Postremò, si ordinem quendam non in uerbis modò, sed in sententijs quoque singulis, & materia uniuersa seruabimus. Ordo autem in uerbis sic seruandus est, ut neq; uerba suos casus, neque substantiua suas adiectiones longè positas, disiectasq; desiderent, & quasi expectent, neque inter se ornandi studio dictiones singulæ implicentur: quale esset, si Ciceronianum illud, Orationem autem latinam efficies legendis nostris pleniorem: ita implicaremus, Orationem autem nostris latinam legendis pleniorem efficies. Videndum etiam est, ne uerba ita collocemus, ut alium, quàm nos uolumus, sensum efficiant. Nam, ne ab eodem exemplo discedamus, si uerba commutes, Orationem autem pleniorem legendis nostris latinam efficies: sensum omnino alium ac diuersum effeceris. Item, si negationes alio atque alio loco posueris,

fueris, non eundem sensum feceris. Aliud est, Non *omnis qui literas discit, doctus est: & aliud,* Omnis qui literas discit, non doctus est: & aliud, Omnis qui literas non discit, doctus est. Item *non idem est,* Ego te non uidi, et Non ego te uidi. *Posterius enim plerunque interrogat. Videndum item est, ne sensum in aliarum quoque dictionum ordine peruertamus.* Nam *si uelimus dicere,* Ego non solum te, sed tuam quoque familiam diligo: *non recte sic dicemus,* Ego te non solum diligo, sed tuam quoque familiam: *nec sic,* Ego te non diligo solum, &c. *Verbum enim diligo aut utrique proponendum est, sic:* Ego diligo non te solum, sed uniuersam quoque familiam tuam: *aut utrique postponendum, ut in principio fecimus. Sed hæc, quoniam & plura sunt, quàm ut breuiter comprehendi poßint, & à nobis magna ex parte in libris de* Elegantia *linguæ latinæ pertractata, non sunt hic latius repetenda. Illud autem in ordine obseruandum est, ut semper crescat in uerbis sententijsq́; oratio: ut,* Homo prudentia, mansuetudine, modestia, atque omni uirtute præditus. *Virtus enim & ea quæ dicta sunt, & alia multa complectitur: proptereaq́; primo in loco ponenda non erat. Contrà nonnunquam particularia, quàm uniuersalia, uehementiæ plus habent, proptereaq́; poste-*

riore loco ponenda sunt, hoc modo: Amo te cùm propter alias uirtutes tuas, tum uerò ob egregiam singularemq; modestiam. Plus enim apud me modestiæ, quàm cæterarum uirtutum ratio ualet. Videndum itaque in hoc genere diligenter est, ut nunquam decrescat & minuatur uis illa, & uigor orationis. Omnibus autem, quas diximus, rebus ita ratio subijcienda est, ut in illis nihil dubitari poßit. Rationes, & rationum confirmationes ita texendæ inter se & coniungendæ sunt, ut non solum sententiæ sententijs, propositionibus conclusiones, explicationes diuisionibus, partes partibus, sed uerba etiam singula uerbis ipsis respondeant, referanturq; ita, ut omnia inter se quibusdam quasi hamis loricæ modo inserta, & concathenata sint, ut destrui, & quodammodo retexi non poßint. Danda autem opera est, ut neque uerba, neque partes alias omittamus, quæ aut obscuram aut ambiguam orationem reddant: nisi quum uerba tam propinqua sunt, ut intelligi alia, suppleri'ue non poßint. Nihil contrà ornatus tantum gratia sine magna ratione apponendum est. Frustra ea enim ornamenta sunt, quæ ratione ac specie omnino carent. Quod quidem necessariò mihi dicendum est propter imperitos quosdam, qui tum denique se ornatißimè loqui putant, quum orati-

oni

oni uel superuacuas particulas multas apponũt, uel detrahunt necessarias. Illa igitur optima compositio erit, in qua nihil deerit quod desiderari, nihil supererit quod auferri posſit.

De numeroſa oratione. Cap. XXV.

Quoniam autem oratio per aures in animũ transfunditur, aures autẽ numeris ita capiuntur, ut Ariſtoxenus nõ ignobilis philoſophus animam harmoniam quandam dicere non dubitauerit, numeris quibuſdam quaſi pedibus feratur, & aures perfecto quodam, &, ut ita dicam, rotundo uerborum ambitu impleat neceſſe eſt. Qui quidem quum pro qualitate materiæ nunc tardius incedit, nunc celerius currit, tum grauiorem, tum acutiorem harmoniam, ſiue concentũ ex ſeſe parit. Quum ita inſtabilis eſt, ut tenorem ſeruare nullum queat, & incompoſito uerborum ſtrepitu inanem quandam, et immodulatum ſonum efficit, ab auribus confeſtim, animoq; reſpuitur. Quanquam id aures iudicare, niſi doctæ atque aſſuetæ ſint, planè non poſſunt: ſentiunt tamen optimum illũ atq; abſolutiſſimũ ſonũ quoquo modo etiã indoctæ. Sed ut in muſica minima quæq; deprehendere niſi peritiſſimus artis nõ poteſt: ſic in hac re ultimam illam, atq; abſolutiſſimã perfectionẽ intelli-

telligere aures, nisi assuetæ omnino non possunt. Atq; hæc quæ dicimus, eò spectant, ut intelligamus nos artificio, ac præceptis ullis numerosam orationem aut nostram facere, aut cognoscere alienam non posse, nisi aures numerosis orationibus audiendis longa consuetudine sonum illum optimum à minus bono discernere doceamus. Qua quidem in re aßidua nos Ciceronis lectio in primis iuuabit. Quanquam autem neq; qui audiunt hoc tempore, numeros satis intelligunt, neq; qui dicunt, aut scribunt, eos magnopere curāt (uix enim hac ætate unum atq; alterum uidi, qui numeros in dicendo aut scribendo sectaretur) tamen uel ut intelligamus, quid nobis seruandum sit, si ueteres imitari uelimus, uel ut eorum in scribendo artificium atq; obseruationem cognoscamus, pauca de numeris ex Ciceronis præceptis, atque obseruatione perstringam. Orationem igitur apud Græcos primi omniū Thrasymachus Chalcedonius, & Leontinus Gorgias, numeris astrinxere, quum poetas cum uoluptate, se cum seueritate audiri uiderent, & uoluptati audientium, uarietatiq; consulerent. Gorgias autem paribus paria reddere, & contrarijs contraria referre primus instituit, eaq; re ad uitium usq; delectatus est. Isocrates deinde moderatione quadam adhibita, rem maximè excoluit. nostri eam rem tantopere

pere

pere admirati sunt, ut cum aliquid numerose cecidisset, tota concio pariter exclamaret. C. quidē Gracchus dum oraret, seruum cum organo quodam post se habebat, qui ei numeros modosq́; suc cineret. Cicero in eo genere, quantum intueri licet, palmam mihi uidetur esse assecutus: ita nihil etiam in familiaribus epistolis, quotidianoq́; sermone non numerosum efferebat. Neque uero tota oratio numeris tanquam uersus astringenda est: sed ita à principio fluere ac ferri debet comprehensio, ut deponi & quiescere in fine, non cadere, aut proijci uideatur. Et quanquam clausula ipsa, id est finis cōprehensionis maximè debet esse numerosa, cætera tamen omnia quæ ad finem illum ducunt, numeris & modulis quibusdam carere non debent, ita ut auditor aut lector à principio uidere finem illum, atq; expectare uideatur. Neq; hoc sanè difficile factu est illis qui se in scribendo aliquandiu exercuere. Nam ubi primùm sententia mente concepta est, confestim uerba ultro sese offerunt, & in ordinem ac numerum quendam digerunt. Requirunt autem non eosdem omnia numeros, sed alios alia, pro diuersitate materiæ, & orationis genere. Contentiones enim celerius currere, narrationes tardius ferri debent. Tarditatem orationi, & grauitatem, spondæus in primis afferet, qui duabus

syllabis longis constat. Celeritatem Pæan maxime conficiet, qui tribus breuibus, & longa uel in principio, uel in fine posita continetur. Dactylus, qui longa & duabus breuibus conficitur, utriq; generi est accommodatus. Iambus, qui ex breui & longa est, demisso & humili sermoni aptißimus est, proptereaq; eo maxime comici utũtur. Principia à longis, ut plurimum, syllabis facienda sunt. fiunt etiam à breuibus nonnunquam: ut Cicero, Animaduerti iudices: &, Nouum crimen. Pæan is, qui primam longam & tres breues habet, & in principio & in medio paßim optime collocatur: in fine non decet. Is uerò qui tres breues, & longam postremã habet, ut Temeritas, Aristoteli et Græcis maxime placet. In fine Cicero eum non ualde probat. nam ultimã syllabam ne in uersu quidẽ, quanta sit, referre arbitratur. Quintilianus longã eße censet oportere. Ego Ciceroni, qui plurimũ dixit & scripsit, magis accedo. Cauendũ autẽ est, ne hexametri uersus principium initio dicendi, aut scribendi faciamus: quale dicitur reliquisse Liuius, Facturus ne operæ precium sim. quod qui emendare uoluerunt, Facturus ne sim, postea scripserunt. Sicut etiam finis hexametri et pentametri uitiosus est, in quem Asinius & Brutus incidere sæpenumero solebant, ut uideo placuisse Catoni. & Hieronymus

noster,

noster, quanquàm non his rebus erat intentus, in translatione Genesεos ait, Da mihi animas, cætera tolle tibi: quod ego non accusandi Hieronymi, sed uitij ostendendi gratia posui. Clausula autem optimè desinit in dichoreum, id est, in duos trocheos: ut, Patris sapientiam, filij temeritas comprobauit. Trocheus enim ex longa & breui conficitur: quem ad modum Asia maximè secuta est. Sed uidendum est, ne frequentius idem finis, quamuis optimus sit, satietatem afferat. afferunt enim etiam optima satietatem. Optimus est etiam in fine Creticus, qui ex longa, breui, & longa conficitur: si ante se habeat uel Dactylum, uel Pyrrhichiũ, qui duas breues, uel Tribrachum, qui tres item breues habet. quale est, Quamdiu tantas iniurias patiemur? &, Facite ut bonos seruare uideamur. Geminatus etiam idem optimè claudit: ut, Virtus est seruare quamplurimos. Patitur etiam ante se Anapæstum, qui duabus breuibus & longa conficitur: ut, De uiro loquar nõ solum bono, uerumetiam nobili. Dactylus quoque non claudit malè, si eum Iambus, uel Creticus antecedat: ut, Hoc nostra ratione concluditur. malè autem, si Spondeus, uel Trocheus antecederet: quale esset, Hoc ratione nostra concluditur: uel, Hoc nostra ratione clauditur. Illud tamen aduertendum est, pedes omnes, si ductionibus

nibus singulis contineantur, peßimè orationem incohare, & claudere. ut in Iugurthini belli principio apud Salustium notat Quintilianus: Falsò *queritur de natura sua genus humanum:* In *fine quale esset, quod modò dicebam, ratione nostra clauditur. Quod quidem & in pedibus benè coeuntibus uitiosum est. Spondeus bene claudit, præsertim quæ incisa nominantur, si eum antecedat Creticus, ut similis causa, qua plurimum uti solebat* Demosthenes. Item *si* Anapæstus: *ut,* Loquar *de muliere non solum nobili, uerumetiã nota.* Item *si* Iambus:*ut,* Tu *optimũ munus exerces: qui* Molossus *efficitur, qui est ex tribus longis. Contrà Spondeus optimè Iambum præcedit: ut,* Iisdem *in armis fuit: & quid futurum sit, nescio. Claudit autem malè spondeus, si eum uel alius spondeus, uel pyrrhichius, uel dactylus, uel* Pæan, *uel* Tribrachus *antecesserit.* Amphibra*chus etiam, qui longam inter duas breues habet, autore Quintiliano, etiam claudit non malè: ut,* In *Africa fuisse. Sed ego id ratione dichorei, qui eodem in loco est, fieri censeo.* Idem Tro*cheum &* Pyrrhichium, *qui* Pæana *conficiunt, optimè cadere existimat: ut, Quanta eos à plebe* Romana *maneret inuidia. quem pedem* Cicero *dicit uigere in principio, in fine iacere.* Bac*chius, qui est ex breui, & duabus longis, etiam*

geminatus

geminatus rectè concludit: ut, Quæ ratio fuit, ut ab homine tibi amicißimo uenenum timeres? Trocheus quoque non solum geminatus, ut diximus, sed etiam Spondeo præcedente rectè cadit: ut, Quod hic potest, nos possemus. Itē Pyrrhichius inter duos Trocheos: ut, Scipio suos omnes uirtute superauit. Drochimum, qui est ex quinque syllabis, prima breui, duabus longis, breui, longa, existimat Cicero, si semel ponatur, esse non malū: ut, Amicos tenes: quanquā magis numerus quàm pes propter multitudinem syllabarum uideri potest. His uerò clausulis si oratio uariabitur, fiet, ut & capiat lectorē, & satietati occurrat. Quanquam autem omnis oratio fluere ita debet, ut numeris quibusdam incedere uideatur: diligentia tamen illa, & ratio numerorum tribus in locis potißimum adhibenda est: quum aliquid laudare ornatius uolumus, ut fecit Cicero in secundo accusationum in C. Verrem, de Siciliæ laudibus: aut quū narrandum est aliquid, quod plus dignitatis habeat, quàm doloris, ut idem in quarto de Aetnensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarū situ fecit: aut in amplificationibus & commiserationibus, ut idem pro Milone, pro Ligario, & alijs iudicijs quàmplurimis dixit. Tametsi se conatum esse, & uoluisse id assequi fatetur, nescire tamen se, an sit consecutus. neq; diu retinendam eam for

 mam

mam numerosè dicendi, idem Cicero arbitratur: sed transeundum ad ea quæ Græci κόμματα & κῶλα uocant, nos incisa et membra possumus appellare. his oratio pulcherrimè distinguitur. Sũt autem incisa, breues quædam orationes, quæ uel interrogant, uel respondent, uel confutant, uel indignantur, uel pronunciationẽ suspendunt. Quale est illud apud Ciceronem: Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas. hæc incisa dicũtur: quæ quidem danda opera est, ut quàm aptißimè cadant. Membra uerò, sententiæ longiusculæ sunt, quæ quibusdam quasi nodis inter se connectuntur, qualia apud eundem eodem in loco sequuntur: Incurristi amens in columnas, in alienos insanus insanisti. Sequitur deinde quædam quasi columna quæ superiora continet, & comprehensionem concludit: depressam, cæcam, iacentem domum pluris quàm te, & quàm fortunas tuas extimasti. Quæ quidem comprehensio dichoreo finitur: superiora membra spondeis optimè terminãtur. Historia, ut Quintilianus scribit, non tam finitos numeros, quàm orbem quendam, contextũq; desiderat. nam omnia eius membra connexa sunt, & ipse rerum gestarum ordo per se lectorem capit ac detinet. proptereaq; quum in omni scribendi genere, tum in historia uel maximè quæ rerum notitiam pollicetur, seruanda

uanda perspicuitas est, atq; omnis compositionis affectatio fugienda. quo quidem in uitio maxime uersari mihi uidetur Tranquillus: qui dum breuis & non uulgaris esse uoluit, obscurum se, & nimis affectatum reddidit. Omnis igitur oratio candorem quendam, & sponte fluentem cursum habeat necesse est, qui non numerosus sit, & similis numeroso. nihil est enim peius ac turpius, quàm si artificiose numeros consectari more poetico uideamur. nihil contrà pulchrius atq; artificiosius, quàm quum ars in omni genere scribendi minime apparet, totaq; compositio naturæ quàm maxime se accommodat. Quam quidē rem duabus nos rebus maxime consequemur, lectione & scriptione. Lectio non uaria quotidie et diuersa, sed simplex, & unius generis esse debet, eiusq; præsertim scriptoris, cuius in scribendo esse similes uolumus. multum enim Plinius ait legendum esse, non multa. eum autem esse Ciceronem, nemo dubitat. Ille enim se profecisse sciat (ut Quintilianus ait) cui Cicero ualde placebit. Quòd si historias scribere uelimus, Cæsar & Salustius mihi in primis legendi, imitandiq; uidentur. Liuius quoque, tametsi diuersum ab his scribendi genus habeat, obtinet tamen in suo genere principatum. miram enim in scribendo maiestatem præ se fert. Neq; Curtius, meo iudicio, repudiādus est: proxi

mam numerosè dicendi, idem Cicero arbitratur: sed transeundum ad ea quæ Græci κόμματα & κῶλα uocant, nos incisa et membra possumus appellare. his oratio pulcherrimè distinguitur. Sũt autem incisa, breues quædam orationes, quæ uel interrogant, uel respondent, uel confutant, uel indignantur, uel pronunciationẽ suspendunt. Quale est illud apud Ciceronem: Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas. hæc incisa dicũtur: quæ quidem danda opera est, ut quàm aptißimè cadant. Membra uerò, sententiæ longiusculæ sunt, quæ quibusdam quasi nodis inter se connectuntur, qualia apud eundem eodem in loco sequuntur: Incurristi amens in columnas, in alienos insanus insanisti. Sequitur deinde quædam quasi columna quæ superiora continet, & comprehensionem concludit: depressam, cæcam, iacentem domum pluris quàm te, & quàm fortunas tuas extimasti. Quæ quidem comprehensio dichoreo finitur: superiora membra spondeis optimè terminãtur. Historia, ut Quintilianus scribit, non tam finitos numeros, quàm orbem quendam, contextũq; desiderat. nam omnia eius membra connexa sunt, & ipse rerum gestarum ordo per se lectorem capit ac detinet. proptereaq; quum in omni scribendi genere, tum in historia uel maximè quæ rerum notitiam pollicetur, ser-

uanda perspicuitas est, atq; omnis compositionis affectatio fugienda. quo quidem in uitio maximè uersari mihi uidetur Tranquillus: qui dum breuis & non uulgaris esse uoluit, obscurum se, & nimis affectatum reddidit. Omnis igitur oratio candorem quendam, & sponte fluentem cursum habeat necesse est, qui non numerosus sit, & similis numeroso. nihil est enim peius ac turpius, quàm si artificiosè numeros consectari more poetico uideamur. nihil contrà pulchrius atq; artificiosius, quàm quum ars in omni genere scribendi minimè apparet, totaq; compositio naturæ quàm maximè se accommodat. Quàm quidē rem duabus nos rebus maximè consequemur, lectione & scriptione. Lectio non uaria quotidie et diuersa, sed simplex, & unius generis esse debet, eiusq; præsertim scriptoris, cuius in scribendo esse similes uolumus. multum enim Plinius ait legendum esse, non multa. eum autem esse Ciceronem, nemo dubitat. Ille enim se profecisse sciat (ut Quintilianus ait) cui Cicero ualde placebit. Quòd si historias scribere uelimus, Cæsar & Salustius mihi in primis legendi, imitandiq; uidentur. Liuius quoque, tametsi diuersum ab his scribendi genus habeat, obtinet tamen in suo genere principatum. miram enim in scribendo maiestatem præ se fert. Neq; Curtius, meo iudicio, repudiādus est: proxi-

me enim ad superiores illos accedit. Alium praeter hos, quem imitari debeamus, uideo neminem. Exercitatio autem multiplex est: unusquisq; enim suo genere delectatur. Sed illa prima atq; utilissima mihi uidetur esse, ut epistolas in omni materia frequentissimas conscribamus, atque illis quodammodo uires quasi in campo aliquo comparemus. possumus enim illis omne scribendi genus experiri, & nos quasi ad ueram pugnā praeparare. Illa deinde optima exercitatio est, ut historias siue communi lingua scriptas, siue barbarè atq; inornatè compositas, latinè conscribamus. Nonnulli etiam latinè scriptas in ἐπιτομὴν redigunt, uel alijs uerbis componunt. Quod genus παράφρασις Graecis uocatur: quae quidem si ex soluta oratione in solutā item orationē transferatur, probanda est: sin ex poemate accipiatur, ut à quibusdam fieri nostra aetate intelligo, meo iudicio, pessima ac uitiosissima est. alia enim poematis, alia orationis solutae ratio est. Adolescentes uerò, qui fines utriusq; rei nondum intelligūt, poeticis translationibus candorem illum orationis inuoluunt. Danda itaq; opera est primùm, ut optimum quemq; imitandum nobis deligamus: deinde ut diutissimè his, quibus dixi, rationibus exerceamur. Haec autem, quae his libris tradita sunt praecepta, ita teneamus, ita seruemus, ut intelligamus

telligamus neq; sine his magnopere ualere exercitationem, neq; hæc sine exercitatione multum ad scribendum conferre. Quòd si hæc cum exercitatione aßidua coniunxerimus, uetustam illam & perfectam scribendi rationem, qua illi, quos maximè admiramur, ueteres utebantur, optimè (ut spero) atq; absolutißimè consequemur.

DE RATIONE SCRIBENDI libri tertij Finis.

IOANNIS LVDOVICI VIVIS DE CONSCRIbendis Epistolis, ad Idiaqueum à secretis Caroli V.



VM INSTITVEREM Idiaquee, opusculum de Epistolis componēdis edere, quarum permagnus est usus in omnes uitæ partes, uisum est mihi tuo nomini inscribere: non quòd his meis præceptis ipse indigeas, qui præceptores facultatis huius ac duces habes Ciceronem & Plinium: quorum uestigijs felicißimè insistis, magna cum admiratione omnium qui sciunt quàm breui tempore, quod in latinis literis concupieras, sis assecutus: Sed quia nemini magis uidetur ea tractatio congruere, quàm ei cui sunt quotidie permultæ maximis de rebus latinæ epistolæ cùm tuo ipsius, tum Caroli Cæsaris nomine conscribendæ. deniq; pro nostra coniunctißima amicitia et uoluntate mutua, quicquid ab altero proficiscatur, non potest non esse alteri longè gratißimum. Epistola est sermo absentium per literas: in hoc enim ea est reperta, ut conceptus animi, & cogitata aliorum ad alios fida mandati interpres & nuncia perferat. Epistolarum usus est, inquit D. Ambrosius ad Sabinum,

ut disiuncti locorum interuallis, affectu adhærea mus, in quibus inter absentes imago refulget præ sentiæ: & collocutio scripta separatos copulat, in quibus etiam cum amico miscemus animum, & mentem ei nostram infundimus. sic ille. Dicta est Græcis à mittendo ἐπιστολὴ, ceu quis dicat missoriam, uocabulo non recepto. Nam inter præsentes nihil opus est epistola, nisi fortè si quid certis præ scriptisq; es acturus uerbis. ut Suetonius Cæsarē Augustum refert sermones cum singulis, etiā cum Liuia sua grauiores, non nisi scriptos, & è libello habere solitum: ne plus minusúe loqueretur ex tempore quàm oporteret. & arrogantissimus ille dominus Romæ nihil unquam cum seruis egit, nisi nutibus, aut descripto, sicuti est apud Tacitum. Excogitati quoq; codicilli inter homines eadem in urbe ac uicinia, sed quibus uisere inter se parum uel placebat, uel licebat, aut certè commodius scriptis agebatur res: quorum codicillorum frequens est apud Ciceronem, Tacitum, & alios mentio. Antiquissimæ epistolæ in hoc unum paratæ erant, ut aliquid absenti nunciarent de re publica aut priuata, quid actum, quid futurum, quid gereretur, quid uellent fieri, aut secus. Cuiusmodi uidemus esse Ciceronianas, & præcipuè ad T. Atticum. Deinceps omnia quæ dici, quæq; scribi possunt, sub epistolæ ambitum uenerunt. Cicero ad

Curionem:Epistolarum,inquit, genera multa esse non ignoras:sed unum illud certißimum, cuius causa res ipsa inuenta est, ut certiores faceremus absentes,si quid eos scire,aut nostra,aut ipsorum interesset. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quæ magnopere me delectant:unum familiare et iocosum,alterum seuerum & graue.Itaq; illa uera est & germana epistola, per quam significamus alicui,id quod in negotijs uel eius interest scire,uel nostra. quales sunt propemodum nunciatoriæ,petitoriæ,commendatitiæ, consultoriæ,admonitoriæ; & si quæ sunt eius generis, quæ uicem absentiæ scribentis impleant. Additæ sunt postea consolatoriæ,conciliatoriæ,præceptoriæ, disputatoriæ de omni argumento philosophiæ, iuris,antiquitatis,omnium deniq; disciplinarum, atq; earum rerum quæ de scripto inter maximè præsentes agerentur. sic à Platone de philosophia scribitur ad Dionysium et alios,à Seneca ad Lucilium,è Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Cypriano,de rebus sacris ad uarios.Citantur Catonis Censorij, & multorum Iurisconsultorum libri,de quæsitis aut responsis per epistolam.Nolo in præsentia differere,quàm latè nomen epistolæ extendendum sit:sed certè si recipimus,aut quicquid salutationem præfert,epistola dicatur:quid causæ erit,quin libri Tusculanarum quæstionum

Ciceronis,

Ciceronis, aut de Finibus, epistolæ nominentur ad Brutum? de Senectute uerò et Amicitia, ad Atticum? de Officijs, ad Marcum filium? uel si orationi pro Milone, aut in Verrem, salutationē præponas, ad Iudices, epistolæ sint? Sed nō fit ideo uir ea fœmina, quæ sumit femoralia, aut ense cingitur: ita nō omnis liber fit epistola, cui præposita est salutatio, nisi naturam & ingenium sumat epistolæ, quam statim demonstrabimus. Bene Plinius Cæcilius: Aliud est historiam scribere, aliud epistolam. significans, in natura illarum esse discrimen.

De inuentione Epistolæ.

Inuentionē epistolarum cum aliqua parte dispositionis coniungemus, præcipuè in exordijs: propterea quòd hæc sæpenumero disiungi non possunt cōmodè. Eadem enim sunt locis aliquot de utrisq; præcepta; & pleriq; epistolas scripturi, maximè circa principia conflictantur, tanquā inter scopulos; facileq; reliquum cursum conficerent, si modo euasißent ex ambagibus portus. Initio illud præfandum est, inuentionem omnem nō solum epistolæ, uerùm cuiuscunq; alterius generis, sermonis, orationisue, ut etiam in his quæ loquimur, haud penitus artis esse, sed prudentiæ: quæ paritur ex ingenio, memoria, iudicio, atque usu rerum: à nobis uerò, tradendis artibus adiu-

uatur,non perficitur: admonetur,nõ omnino instituitur.ne quis se uel hoc loco, uel in alijs,aut à me ipso,aut ab alio quopiam scriptore aut magistro plenam cognitionem componendarum epistolarum, alteriusq; omnino generis orationis accepturum speret. Sunt enim qui præcepta damnent tanquam inutilia, quæ non statim ex stupido acutum reddant,peritum ex rudi.itaq; sit hoc primum præceptum,adiuuari à nobis inuentionem: & promoueri hisce formulis,quæ nec ipsæ uirium sunt aliquid habituræ,nisi usus atq; exercitatio accesserit. hæc præfatus, ad rem uenio. Scripturus epistolam, consideret quis & cui scribat,et quibus de rebus,qui simus nos ad illum,qui ille in se. aut enim ignoti sumus, aut noti: amici aut inimici,leuiter seu dubiè amici,aut apertè & arctè,pares aut impares, & hoc uarijs in rebus, genere,fortunis,eruditione,ætate. Tum ille quo genere,plebeius an patricius, honesto an sordido.qua fortuna,summa, magna, mediocri, infima,nulla. quo rerum statu,liber an seruus, opiniosus an obscurus, bonæ an malæ famæ, ociosus an occupatus, sutor an sartor. qua eruditione, magna, mediocri, media. Theologus, Medicus, Philosophus, Iurisconsultus, usu rerum an secus. quo ingenio & moribus,tristis an hilaris,remissus an seuerus, placidus an iracundus, humanus

an

an superciliosus, facilis an difficilis, acutus an hebes. hæc enim uno mentis intuitu facile percurremus omnia, & momento temporis. Frequenter enim excusandum est, quod ignotus scribas, aut leuiter amicus, aut tanto uiro, aut ei in quem forsan crederis inimico esse animo: hoc primùm purgabis. nam ita fert natura ipsa nostri ingenij, ut resoluta epistola, & lecto scribentis nomine, admiretur is cui scribitur, si ab ignoto, si à leuiter charo, si ab inimico mittatur: ita uel impudentiæ, uel temeritatis, uel arrogantiæ, uel dementiæ scribentem apud animũ suum statim initio damnat: quo fit, ut non tantum aspernetur literas, sed autorem ipsum oderit: idq; eo acrius, si superciliosus sit, aut morosus, & in eum ipsum odij affectũ procliuis: ergo occurrendum. Nam & in ipso foro noui oratores re ipsa cogebãtur, ante alia omnia de se loqui, cur dicerent. Sic Cicero pro Sexto Roscio Amerino, quam orationem habuit ad Iudices primam: & pro lege Manilia, quæ fuit ad populum prima. Sumendum igitur principium uel ex te, aut rebus tuis: uel ex illo, aut rebus eius: uel ex re ipsa de qua scribis: idq; tanquam exordiolo. Ex te ad hunc ferè modum: Semper te amasse & coluisse illum, ubiq; optimè & sensisse de illo, & dixisse: dolere quòd tam diu illi ignotus, aut tenuiter notus fueris, quem ita sis semper de

ingenio ac uirtute admiratus; aut dolere, quòd in animũ eius inciderit ea suspicio de tua in eum uoluntate, quum tu amicitiã illam semper inter præcipua tua bona numeraris. allegabis, si potes, documentum aliquod amicæ tuæ uoluntatis erga illum: culpam reijcies in eos, qui uestræ amicitiæ inuiderint: aut in illum ipsum scilicet, sed modestè, & sine asperitate: aut in tuam imprudentiam, ac ætatem. aut apertè culpam fateberis, si ita res poscat: pœnitere te, & daturum operam, ut re ipsa sentiat, quemadmodum sis iam affectus erga illum. A *rebus tuis, amicitiam communem cum aliquo demonstrabis, aut paternam.* Ab *illo, ingenium, literas, humanitatem, uirtutes, quas es in eo admiratus, adduxisse te ad scribendum: ut in conciliatorijs. ignotus es, sed ille omnes incredibili humanitate cõplectitur, aut cupiditate benefaciendi. tũ literæ eius, aut prudentia effecerunt, ne ipse aut cuiquam esse poßit ignotus, aut quenquã putare debeat ignotum sibi, aut ad se nihil pertinere.* Idem *de potentia, ut duci, ut regi, ad quem tanquam ad asylum accurrendum est: nec discernendum quis notus, quis ignotus. omnes sunt satis noti, qui se illius curæ crediderunt.* Efficiendum *potißimum, ut magis uideamur uirtutibus illius adducti, quàm allecti fortuna.* Et *in commemoratione uirtutum, ne sit species ulla assentationis: sed id*

osten-

ostendemus nos habere compertum, uel in nobis, si quo affecti sumus beneficio ab illo, uel audisse ab ijs qui experti sunt, uel cognouisse nos ipsos, uel uidisse. ita testimonium aliquod afferemus ex opere: ut in uiris doctis, ex libris ab eis editis, orationibus habitis, prælectionibus, disputationibus. Et ea maximè cõmemorabimus illius bona, quæ ad rem, de qua scripturi sumus, aptißima fuerint: ut clementiam, si petimus ueniam: humanitatem, si amicitiam: liberalitatẽ, si beneficium: prudentiam & probitatem, si consilium. A rebus ipsius, uelut à communi amicitia, à paterna: à rebus de quibus scribimus, ut rem esse honestam, doctã, argutam, ideo dignam de qua illi scribatur: aut necessariam, ideo coactos esse nos ad eum tanquã ad aram confugere: uelut ob fortunas ad diuitem, ob iusticiam ad Iudicem, ad Regem, ad Magistratum: maluisse nos uitij cuiusuis suspicionem subire, tametsi nobis grauißimam, in animo duntaxat illius, quem nos tanti facimus, quàm non scribere. necesßitatem fortißimum esse telum, cui nemo resistat: & honestius est, quum id fit pro altero. aut rem esse eiusmodi, ut quum eam pernouerit, non te uel temerarium iudicet qui scripseris, uel confidentem, sed uirum haudquaquam malũ, et in rebus bonis animosum: contrà potius iudicaturus esset secordem te, si neglexisses. Est etiam

apud

apud amicum excusandum, cur de re aliqua scribas, de qua poteras coràm agere. Cicero Luceio: Coram me tecum eadem hæc agere sæpe conantem, deterruit pudor quidam penè subrusticus, quæ nūc exponam absens audacius: epistola enim non erubescit. Hæc est prima coitio, quæ, ut ille dicit in Comœdia, acerrima est: cætera sunt proniora post hanc, & magis expedita. Ideo prima epistola uehementer est elaborandum, ne apud nouum erga nos animum in suspicionem ueniamus cuiusquā uitij, aut impudentiæ, aut arrogantiæ, aut loquacitatis, aut ostentationis, aut uafriciei, aut putidæ affectationis, aut immodicæ assentationis & parasiticæ, aut scurrilitatis, aut imperitiæ, aut imprudentiæ. Plurimum enim in prima compactione positum est, sicut in uasis teneris adhuc & mollibus, quū coalescunt. Nec puto quenquam admonendū esse, non omnia omnibus congruere: uidendum cui poßis admirationem de ipso tuam allegare, cui paternum hospitium, cui curam subditorum. Quòd si nihil habes, quare scribas, excusandū: tum contemplabere, qui sit ille cui scribis, nā hinc tota epistola temperatur. Ad fortunatum & superciliosum, reuerentius, modò absit assentatio: ad morosum & asperū, parcius & leuius: ad rudem aut hebetem, apertius: ad ingeniosum, accuratius, & maiore apparatu, si eo delectatur,

ctatur, & sic se uenerari arguit. docto ad antiquitatem accommodatius, ad occupatum breuiter, ad ociosum fusius, si rem non ingratam facturus es: ad hilarem læte, ad humanum minus scrupulose & anxiè, ad seuerum subtristè, ad remissum iocose, ad mœstum mœstè, ad amicũ certum apertè & cum magna fiducia, ad incertum dubiè: sed sic, ut se credat diligi, & diligas reuera. Hoc lex naturæ, hoc melior naturæ lege Christus iubet: ita ut ingratitudinis ille sese damnet meritò, ni redamet. ad inimicum, ut cogites amicũ posse fieri, & apertus semper paratusq; maneat reditus in gratiam: ut absit omnis asperitas, & mansuetudinem quandam animi exeras etiam in inimicũ: & præstabit meminisse professionis nostræ, qua uetamur quenquam odisse: ita ut emendatum illum ostendas cupere te, non perditum: & uitium odisse, amare hominem. ad parem & charum, simpliciter ac familiariter: ad minus familiarem, cautius & comiter, citra deiectionem: ad inferiorem, humanè, ut non uidearis loqui ex alto, sed ex æquo, uel infimis. hoc boni mores suadent, hoc pietas sacrosancta præcipit. exempla erunt usu facilia. Omnino tollendũ est è uita genus illud epistolarum fallax, insulsum, ineptũ, quo signa omnia uoluntatũ confunduntur: adeò blandum & assentatorium, ut nullo penitus modo scribentis poßit

animus dignosci. quales sunt epistolæ, quæ nominantur aulicæ, et bene educatæ. nam humanus cogitatus tanta mole corporis contectus, impenetrabilis est, profertur quodantenus sermone. Quod si hic quoque fictus sit penitus et contectus, quid reliquum fit ad hominem nascendum? qualis erit hominum communicatio et societas inter se, quum nemo beneuolũ & maleuolum distinguet, & lupum ad se recipiet pro ouicula: aut hanc fugiet, lupi sæuitiã formidans? sed hæc alterius sunt instituti. Iam de rebus epistolæ.

De rebus epistolarum.

Epistola quascunque res potest continere. sed nos propius ad rationem præceptorũ in aliquot eam genera partiemur: pingui quidem & rudi Minerua, sed ad captum tyronũ apposite. Nam uel de rebus ad nos spectantibus loquimur, uel ad eum cui scribimus, uel ad utrunque, uel de alienis. Sunt in nobis, ut in omnibus hominibus, animus & corpus: sunt externa. In animo, mens: in qua iudicium, sagacitas, ingenium: & in hoc acumen, celeritas, hebetudo, tarditas, eruditio, ruditas, memoria, thesaurus eruditionis, & rerum omnium quæ uidimus, quæ audiuimus. Denique aliquo cepimus sensu, siue exteriori, siue interiori. In eadem facilitas, difficultas, firmitas, imbecillitas. Est etiã uoluntas, in qua expetitiones & fugæ rerũ, tum

bonarum,

bonarum, tum malarum. ſub his partibus affectus læti in re præſenti, & triſtes, & utriq; in re futura & præterita. In *corpore, quæ ad extremã cutem, color, ſpecies, aut deformitas: quæ in neruis, robur aut infirmitas: quæ in intimis, ualetudo: quæ ad totum, pulchritudo aut fœditas: tum quæ ad id ſuſtentandũ, uictus ratio.* Extra nos *ſunt pecuniæ, ueſtimenta, deniq; omnia quæ poßidẽtur, honor, dignitas, genus, acta, amici, patria, inimici, infamia, & poſt nos poſteritas.* Ergo *epiſtola uel ad nos pertinet, in commemoratione alicuius rei, ex ijs quæ diximus. uelut in ingenio, enarratio noſtrorum ſtudiorũ: in memoria, gratiarũ habitio, uel actio: in uolũtate, explicatio morũ: in affectibus, ſi qua re ſumus cõmoti: in corpore, qua ualetudine: in externis, qua fortuna, quid amici pro nobis egerint, aut non egerint: aut inimici nocuerint, aut tẽtarint.* Itaq; *uel aliquid cupimus in ingenio, ſicut auxilium eruditioni aut prudẽtiæ: in memoria, cognitioni rerũ: in uoluntate, moribus aut pietati: quæ ſunt conſultoriæ. in affectib. beneuolentiam conciliare, quæ eſt conciliatoria: aut fouere, aut augere conſeruatam, quæ eſt officioſa: aut querelam uel indignationem apud illũ effundimus.* In *corpore remedium, aut conſeruationem ualetudinis, aut firmitatis: uel pertinet ad uictum, quæ ſunt partim ex conſultorijs, partim*

ex petitorijs. In rebus externis, omnes quibus aliquid cupimus, uocantur Petitoriæ, quæ de pecunia, dignitate, honore, contra inimicũ, si auxiliũ imploratur: pro amico autem, nominatur Commendatitia. In illo cui scribimus, aut aliquid eius narramus tantũ, aut etiam laudamus, quæ est Panegyrica: aut ad uoluptatem quum iocamur, aut fabellã referimus, quæ illum exhilaret, aut ad commodum eius pertinet: quales sunt præceptoriæ, consultoriæ, hortatoriæ, admonitoriæ, castigatoriæ, gratificatoriæ. de rebus omnibus, de ingenio, de memoria, de corpore & rebus eius, de externis, quæ sunt consolatoriæ & incitatoriæ, quæ ad affectus tendunt: et aliæ quibus affectum aliquem uel excitare conamur, uel excitatum sedare. Ad utrunq; spectant, quæ de cõmunibus rebus, & de communi eruditione, de cõmunibus negotijs: quales sunt mercatorum, expostulatoriæ, inuectiuæ. Alienæ sunt, quum refertur quid gestum uel in aliena domo, uel in aliena republica, quid quis dixerit, egerit, cogitarit: & loquor ad sensum gentilium, nimis iam à nobis receptum atque approbatum, qui præter sua et amicorum, ciuitatisq; publica, reliqua à se aliena existimabant esse. Quanto rectius, & ad naturam propius, senex ille in fabula, ad se cruciantem: Homo sum, humani nihil à me alienum puto. Admiscentur uerò narrationes

nes illiusmodi omnibus epistolarum generibus, et fiunt mistæ epistolæ. quæ omnia sint à me dicta uelut exempli gratia. Quis enim aut uniuersa complectatur, aut persequatur singula, quæ sunt infinita? meritoq; Philosophi negarunt de singularibus, utpote innumeris, esse scientiã. Sed nos iam usum incipiamus tradere. De nostris rebus dicemus modicè, modestè, pudibundè, parcè, ut absit species omnis arrogantiæ, quam ne in maximis quidem uiris ferimus: uideturq; uelut uenenum, quod res alioqui pulcherrimas superfusum corrumpit. Ad eundem modum si de iniuria uel contumelia nostri querimur, aut omninò uerba facimus, ne uideamur cæci amore nostri rapi (quod uitium Græci φιλαυτίαν nominant, contrarium Apollinis præcepto, quo admonemur, ut se quisque norit) sed duci iudicio: ita ne multum detrahamus illi, de quo querimur, dum nobis indulgemus, ne illud audiamus de Satyra: Quum tua peruideas oculis malè lippus inunctis, Cur in amicorum uitium tam cernis acutum, Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius? Ita rem nõ exaggerabimus uerborũ atrocitate, sed ciuiliter omnia explicabimus, et mansuetè. Scribere uerò nos ad illũ potissimè dicemus, quòd prò summo nostro mutuo amore libenter curas omneis, cogitationes, affectus, læta & tristia in illius sinum deponimus:

id esse nobis unicum leuamen anxietudinũ. Si petimus aut rem honestã, aut mediam:nam turpem nec decet bonum uirum petere, nec petitam concedere. honestam uoco, consilium, amicitiã, admonitionem, institutionem: mediam uerò, & quasi neutram, pecuniam, fauorem, adiumentũ pro nobis, aut amicis. Adsit in petitione omni pudor(nã inferiorem se facit, quisquis rogat:) sed in alijs rebus, et apud alios, maior aut minor. Rem honestam liberius petemus, & audacius: modò ne admisceatur impudẽtia, & uelut imperiositas quædam, tanquã non roges, sed imperes: quod in Bruto culpat M. Tullius. Ostendes, cur petas, cur ab eo potißimum. nam si causa non sit petendi, uidetur res insolens, aut arrogans, aut inepta & superuacanea, petere: uelut si uetula, uel auriga, à magno Theologo roget explicari sibi mysteriũ trinitatis, ut ab Augustino traditur, uel Hilario. Tum, cur ab eo petas, quod plurimum in ea re ualeat: scire te, illum non negare alijs, minus negatũrum tibi, amico, beneuolo, admiratori. Ad similẽ modum in conciliatione amicitiæ, esse te admiratorem linguæ Græcæ et Latinæ, quæ quum in illo sint exactißimæ, cupere te esse illi perfamiliarẽ. Porrò illum talem esse, ut humanitate illa inexhausta uniuersos ad se alliciat & complectatur. Apud amicum, aut hominem ualde humanum ac

facilem,

facilẽ, quiq; solet libenter eiusmodi præbere, quæ nos cupimus, breuius licebit agere & simplicius, ostensa fiducia ex amicitia nostra, aut illius moribus: quæ fiducia ualet etiam apud leuiter amicos, ut præ nobis feramus magnam beneuolentiã, ex qua oritur eiusmodi fiducia. Nam indignãtur sæpenumero amici, magnis & ambitiosis precibus aliquid ab se amicos cõtendere: suspicantur enim illos nõ satis amare, aut confidere amori mutuo. Quòd si in rebus honestissimis attingendum, cur petas, & cur ab illo: quanto id magis faciendum est in re media: in qua erit adhibenda cura paulo maior. Sed id quoq; ex personis temperandũ est, eius ad quem scribitur, & qui scribit. quippe si sit pater, aut frater, aut charissimus, aut qui debet, aut qui semper solet, nihil opus est magno uerborum ambitu, nisi res sint mutatæ. ut duriora et difficiliora tempora, iactura rei familiaris, te factũ minus amabilem, aut quid tale. Discipulus incunctanter petit à magistro, quæ sunt institutionis: priuatus à magistratu, quæ iuris aut æquitatis: doctus à potente uel principe, alimenta ocij literarij. Nam si ab his non petat, qui dabunt? sartores ne & rhedarij? tum quòd doctus adiuuat principem bonis monitis, princeps doctũ fauore ac pecunia, uterq; qua re plurimum ualet. Sin alienior sit, & non adeò familiaris, ostende aliquid cur

dignus sis, qui impetres. Ex te, *quoniã amicus, aut quòd amasti semper, aut ad illum maluisti accurrere, quàm ad alium quemuis: cui mauis, uel quod tantum amas, uel ob eius probitatem, debere hoc tantum beneficium, quàm ulli alteri. uel quod plurimum ei debes, ideo plus uelis debere: quod est ingenui (sicut* Cicero *ait) animi. aut quoniã debere omnia graue est, malle te bonis debere, quàm indignis: ita enim fit leuius. aut si in eum tua ulla extant beneficia, leuiter admoneas, & parcè, citra exprobrationem: declara quantum te deuinciet, quantam habiturus sis semper gratiam, quomodo obseruaturus semper tempus, ut remunereris, si qua poßis. non solere te ingratum esse, uel minimis beneficijs, aut officijs: quanto minus futurum in hoc tanto, aut tali tempore.* Nam *petentis gratitudo uehementer elicit dantis benignitatem. Si cui opus fuerit, habet ea quæ sunt in persona.* Petimus *propter genus, propter patriã, propter communionem studiorũ, propter magistratum, propter amicos, propter inimicos, præsertim communes. hoc se rogare, quo eget, ut cõmunium inimicorũ audaciam compescat, & calumnias retundat, quod est telum acerrimum, animo præsertim affecto. Tum ex causa, te hoc petere in alimenta studiorum, liberorum, coniugis, aut amici pauperis.* Ex *illo, nosse te liberalitatem eius,*

præsertim

præsertim in eos qui ob eiusmodi causas petunt. illum scire quid sit studere, quot rebus sit opus: aut quid sit familiam sustinere, ideo didicisse miseris succurrere, non ignarum mali. Deniq; si nihil sit in nobis dignum, ob quod petamus: illum certè esse dignum, qui det. hoc ei fore pium, honorificum, laudabile, hoc semper studuisse, in hoc subijsse tot labores, parasse tot opes, ut plurimis prodesset. Et hæc dicentur ambitioso reuerenter, graui contractè, læto fusius & hilarius: sic tamen, ut ne nimium miseriam nostram uideamur uelle ostentare, & quasi clamare, dignos esse nos misericordia, ut existimemur imbecillè nimis atque impotenter ferre nostras res asperas: sed obniti & reluctari, quantum possumus, premi tamen interdum ab illis atque urgeri. sic enim natura fert, ut minus misereamur eorum, quos abijcere se in aduersitate cernimus, et nimis lamentari suam fortunam, tanquam rem indignißimam patiantur: ita semper honestiores sunt pro alio lachrymæ, quàm pro nobis ipsis, nisi fortè ignosci nobis precamur.

De epistolis commendatitijs.

Pro alio quum petimus, si argumentum est simile superioribus, ad eundem ferè modum tra-

ctatur, quo docuimus. Commendationis uerò hæc sunt præcepta: Primum omniū, ut dignum ostendamus hunc esse illius gratia & fauore. dignus fit uel ex commendato, uel ex nobis qui commendamus, uel ex eo ad quem scribimus. Ex commendato, si demonstramus in eo esse aliquid, propter quod mereatur diligi. percurrendum per ea, quæ in persona posuit: nempe genus, quia nobilis: patriam, quia Romanus: ingenium, quia festiuus, acutus, Græcus, Latinus, Musicus, Philosophus, Theologus, uir prudens, et multis in negotijs uersatus: animum, quia probus, modestus, moderatus, & cum primis gratus, si quid ei beneféceris. tum corpus, quòd agilis, celer, formosus, robustus. Iam externa, quòd prædiatus, pecuniosus, gratiosus apud regem, apud multitudinem, magistratus. Et accommodanda sunt hæc moribus, atque usu illius. delectatur cognitione ueteris memoriæ, hic est eius peritissimus: claritate generis, hic est nobilis: studio armorum, fortis, robustus, exercitatus. sic nonnunquā commendatur nugator nugatori, aleator aleatori, comessator comessatori, compotor compotori. habet multos agros, hic agricola: componit, hic optimus librarius: eget ministro, ad manus hic diligens & fidelis, & is qui semper illum dilexit, admiratus est, appetiuit. natura enim diligimus illos, à quibus amo

re sumus

re sumus prouocati. Solent illa addi: talem esse, ut si propius cognouerit, sit nobis habiturus gratiã, quòd talem sibi hominem conciliauimus: non uereri nos, ne mendaces in huius laudibus deprehendamur, ne'ue incutiant nobis aliena peccata pudorem: cautos nos esse in laudando, nõ consueuisse nisi tales cõmendare. ecquid pœniteat eorum, quos sua commendatione esset complexus? multo minus huius, quin & hunc omnes superaturum. aut non esse hunc huius aut illius similem: cõmendati quidam, sed commendatione indignißimi: in illo cepisse nos documentum, quales demum commendari conueniat. Ad eundem modum alia ornamenta, quæ unusquisq; dato exemplo excogitare sibi poterit, usus quoq; ipse plurima suggeret. Ex nostra parte, si nos ille amat, cui scribimus, nec ficté. sufficiet aperire, illum cuius causa laboramus, charum nobis esse: & illius negotium magnæ curæ. Exponitur sæpe amoris causa, tum ut ille facilius hoc credat: uelut intercedere uetus hospitium, multa ultro et citro beneficia uel officia, affectum à nobis beneficijs gratißimum se præbuisse, nos eo uti familiariter, cõpluribus locis profuisse. nonnunquam ut eisdem de rebus ab illo diligatur, & suum iudicium adiungat nostro, præsertim si quid ille nobis in iudicando tribuit: sin minus, afferemus testimonium eius, cui magnam

ille fidem habet. charus est nobis de eloquentia, de ingenio: quod ille, si quid me credis posse in hoc censere, habet in numerato. literas Latinas *iuxtà & Græcas nouit, ut neminem uideat* Erasmus *aut* Budæus, *quem poßit huic anteponere, aut etiam conferre.* Solent *illa quoq; inseri:in hoc homine intelligam, quantum me ames, quanti me facias: da quæso operam, ut hic quàm primum quàm maximas mihi pro cōmendatione hac gratias agat, habeatq;: caue credas hanc esse ex uulgaribus commendationibus:non ut alium quemuis tibi commendo hunc, sed ut ex me genitū commendarem, ideoq; & mea ipsius manu hoc epistolæ exaraui, quod facere consueui rarius. omnes, quibus tecum est negotium futurum, ad me accurrunt, quòd sciant quanta inter nos beneuolentia intercedat, aut quanti ego te faciam, uel tu me: suspicantur plurimū me apud te ualere, quod ego eos credere facile patior: et ne hunc errorem eximam, qui est mihi gratißimus atq; honorificentissimus, nemini epistolas commendatitias negare possum, petenti ad te.* Habent *principes & potentes uiri signa quædam inter se, quibus dignoscunt, quàm uere & ex animo commendet, qui scribit. nam sæpe cōmendationes dantur importunis precibus, non amicitiæ, aut dignitati personæ: nec licet interdum recusare. unde sunt illa,* Rogatus

gatus rogo: Afficio te molestia, quoniam affectus ipse prior: tu quid facto sit opus, uideris: multum huic homini debes, qui sic cupit tibi esse commendatus, ut odio me enecarit, donec id extunderet: tanti scilicet te æstimat, quum ego diu repugnarim. hæc signa epistolaria, & Græcis olim & Latinis hominibus fuerũt in usu. Græci συνθήματα ἐπιστολιμαῖα nominabant, sicut est apud Gregorium magnum, Ciceronẽ etiam ad Quint. Valerium libro decimotertio. Adijcitur nõ rarò commendatio rei potius quàm hominis, ut quod habeat negotiũ iustum, pium, illi cui cõmendatur magnificum, gloriosum, plurimis utile, reipublicæ salutare ac necessariũ: nos magis laborare in hoc, illius ad quem scribimus cura, quàm eius quem commendemus: fore eam rem illi honorificã, aut fructuosam: eo beneficio ingentem ipsi fauorem ac beneuolentiã uel utilitatem parari, aut ipsi eidem, aut ijs quibus optimè cupiat, nempe liberis, propinquis, affinib. ciuibus. Declarabimus quid possit is quẽ cõmendamus, suo loco efficere, quid soleat, quid eius parẽtes aut propinqui, quid alij eiusdem ordinis aut nationis. Si nos sumus illi cui scribimus charissimi, aut non leuis momenti, nequaquam opus est prolixa epistola, & accurata, breues quidã uelut codicilli, et tanquã testificatio iudicij ac uoluntatis nostræ suffecerint. Sin secus,

paulo

paulo pluribus erit differendum, et preces addendæ, & promißio reponendi beneficij, quum usus poscat. Exempla cõmendatitiarum sunt apud Ciceronem & Plinium creberrima.

De rebus eius ad quem scribimus.

In alterius rebus sic semper scribendum, ut uideantur nobis curæ esse. Si tantummodo narras, nullo ad eam rem apparatu uel arte opus fuerit: simpliciter id potest expediri. Sin laudas, uerisimiliter id facito: & ea laudato, quæ sint illi tanquam stimulus ad uirtutem. Nam inuenire est ingenia nonnulla, quæ laude ad præclara opera incitantur. istis adhiberi laudem expediet: ut ferũt equum plus pinguescere, si plana manu dorsum & clunes eius demulceas, quàm pabulo. Sunt contrà alij, qui accepta laude, uelut mercede, ab opere desistunt: illis proderit laudatio, his castigatio uel reprehensio. Sed quum rem illi charam laudamus, licebit nobis esse benignioribus, si tamen ea res existimationi nostræ nocitura non est, nec laudatæ rei, ut filio uel amico. Fabellæ, aut gestæ rei narratio, festiuitate condietur, ut multum absit à cothurno et figuris historicis. repet leui lapsu, ut placidus riuulus: non rapietur, ut torrens: nec intonabit claßicum, etiamsi bella referat. Quid in

iocis

iocis sequendum, docuit Cicero libro de Oratore 2. & de Officijs 1. Est & caput apud Quintilianum de risu, item apud eundem Ciceronē in libris de Oratore. Debet à iocis abesse omnis scurrilitas, ne sordidi sint & putidi: procacitas etiam & petulantia, ne uirulētia sit magis quàm iocus, neu in miserum & calamitosum simus dicaces, neue in probum & grauem uirum. nihil est facilius, quàm in quemuis dicta dicere: sed id non est cordati hominis, & educati ingenuè. Debent ergo adesse iocis, elegantia, urbanitas, acumen & facetiæ: in quibus est sedes risus. nam in alijs admiratio potius est, aut delectatio. Longa res est, de singulis horum præcipere, & hoc loco, quum eam rem neget Cicero arte tradi posse, quod planè ita est. quippe tametsi paratur nonnihil uel exercitatione, uel lectione, tamen maxima pars naturæ est munus. idcirco cognoscat se quisq;: & si ad id non est natus, ne tentet quidem: sequitur enim necessariò, ut ipse sis ridiculus, si nō sint tua. Qua de causa Demosthenes, cui putant negatam fuisse hanc facultatem, nunquam quod iocum uideri uellet, orationib. suis admiscuit. Et ex facetijs sunt aliæ breues, quæ in uerbo uno, uel duobus, certè paucis sunt sitæ, quæ dicta nuncupamus: aliæ fusæ, in narratione, atque explicatione rei cuiuspiam. Illud prius genus à paucis intelligitur, nisi

acuto

acuto ingenio. Vnde uetus illud, Perdidi dictum, puto, non intellexit. posterius istud imperitis auribus aptius est. Sunt qui iocū nec dicere possint, nec ferre. Et quoniam uel superbia humani ingenij, uel generositate nemo facile fert nouum superiorem: hæq; omnes epistolæ, præceptoria, admonitoria, consultoria, adhortatoria, castigatoria, obiurgatoria, tanquam ex alto loquuntur. ideo considerandum accuratè qui scribat, cui, qua de re. Si receptus superior, nihil necessaria erit præmolitio, aut dulcoratio: tanquàm si senex & prudens admoneat puerum, aut præceptor discipulū castiget, uel etiam obiurget: uel pater filium, uel frater natu maior fratrem minorē, uel pusillum tutor, uel princeps subditos, aut priuatos magistratus, modo superior. Nam obiurgari populū Romanum à Censore licebit, à Quæstore aut Aedile nescio an liceret. Sed fit interdum publici boni gratia, qui est ualidissimus prætextus. Sin uerò par admoneat parem, uel superiorē inferior: uel par aut inferior in una re, superiorem in alia, uel contrà: quemadmodū senex probus iuuenem nobilem, aut locupletem: uel doctus Theologus indoctum Episcopum, hic lenimentis opus erit. Considerandum ergo, ut dixi, qui scribat. unde sumuntur lenimenta: non esse mirandum si senex, et tot annos uersatus in ea re de qua agitur, admoneat iuuenem:

iuuenem:sic illum minores se quandoq; admonitu-turum, se id debere facere pro publico munere; quippe qui sit concionator, aut magistratus, aut curio. Tum qui ille cui scribis, non posse te reticere, quum sit amicus paternus, quum sit uelut tuæ curæ commissus, pro necessitudine patris & tua. Ab ingenio, non posse te abductum tanta indole & acumine ingenij aliter efficere, quin admoneas, quin consulas, quæ ad absoluendū numeris omnibus tale ingenium pertineant, desiderari tantū hoc ad summum ingenium: rogare te, ut id quoque præstet, quo magnum quid & admirabile in eo uideamus. Sic in corpore: formam illius speciosissimam, quæ est uelut muta commendatio, impulisse te, ut cætera uelis uidere conformia, & digna illa pulchritudine. Iam corpus & fortunas; uel adductum te miseratione distorti & deformis corporis, ut cupias illum ingenti pulchritudine animi deformitatem corporis pensare, & quasi obtegere: tanto etiam futuram admirabiliorem animi pulchritudinem; quanto fuerit in uase fœdiore: ut preciosam gemmā in plumbo, thesaurum in fictilibus. sic Aesopum, & Socratem, & Epictetum in maximo precio fuisse. A rebus uitæ: optare te, ut tantæ fortunæ respondeant cætera: aut contrà, ne desit animus, quum desit fortuna. Ostensio uitij grauior est multo. Quidam apertam

apertam reprehensionem non ferunt, rectam nō sentiunt, laudes figuratas & de suis ipsorum uitijs accipiunt & agnoscunt: tanta est in eis suimet ignoratio. Sunt nonnulli eo acumine, ut omnia quorsum dirigantur intelligant: sed reprehendi se tamen nolunt. alij facilè patiuntur reprehendi se atq; obiurgari, sed non à quouis. Planè uarijs ingenijs, ut corporibus, uaria est adhibenda medicina: quod animaduertimus etiam ab Apostolis ipsis factitatum, in studio illo tam ardenti obtemperandi Deo, non placendi hominibus. Qui simpliciter potest sanari, cum eo simpliciter agendum. Si laus de uirtute, quam non habet, prodest, laudetur: quales sunt nonnulli Principū & potentum, & doctorum atq; ingenioforū hominum. Si non à quouis admoneri se patitur, nec tu satis magna autoritate fultus, inducas maiorē: dic esse uiros graues, qui quum in eo magna & multa bona admirentur, hoc uel illud requirant: esse qui doleāt, illum cum exceptione laudari: te uerò suscepisse illorum negotium, ut ad eum sententias eorum perferres: quòd sit tibi cum ipso necessitudo, quòd frequēter scribas, aut quòd sis coniunctior, consanguineus, affinis, uetus sodalis, condiscipulus, conterraneus, ciuis, subditus, cliens, uetus assecla, aut horum filius, uel alioqui necessarius. Sin laudibus insolescit, ac fit insanior, atque ad

ad apertã admonitionẽ est uelut asinus ad lyram, si omnino curæ est tibi eius emendatio: rumpe quod aperire non potes, & disseca quod nequis dissoluere: simpliciter aperteq; obiurga: tum certe functus fueris tuo munere. aut si periculum adeundũ est, quid amplius aut magnificẽtius, quàm pro optima caussa? Licebit rationes ostẽdere, quibus impulsus es ad hoc agendum: ut chirurgi declarant, cur aliquid in ægro corpore urendũ aut secandum sit. nihil omnino à te, sed uel ab illo, uel à rebus: quòd sit tam charus, quòd tibi commendatus, tuæ curæ creditus, uel à parentibus, uel à Christo, uel à ciuitate: ut malis illũ tibi inimicũ, quàm non omnino bene monuisse. A' rebus, quod illud eius uitium damno sit multis, quum sit episcopus, curio, magistratus, rex, & in Christiana religione. modò adsit modestia, & præscriptũ illud Domini de fraterna correptione, nemo non satis habet iuris in quemuis alium fratrem. Nam si inter eas angustias uersemur, ut difficile sit gratum temperamentum obseruare, habemus Apostolorum exemplũ ex schola Christi, qui rectà ingreßi, Deo curabant approbari se, quemcunq; mortalium offenderent. Quod si omnino profuturus nõ es, sed magis irritatione tua & tibi nociturus, & alijs, consultius erit Camarinam non mouere: non solũ ex gentilium præceptis (quorũ illud est, Frustra

autem niti, neq; aliud se fatigando nisi odiũ quærere, extremæ dementiæ est) uerùm etiam exemplo & dictis Seruatoris. Non est prætermittendum, quin aliquid semper dulcedinis amaritudini admonitionis admisceamus, idq; à laudibus illius. cætera adesse abunde, præter hoc: dolendũ, sic naturam nihil undiq; fecisse absolutum: quis non miseratur tale uitium in tali ingenio, aut corpore, aut nobilitate, aut fortunis? Habent consolationes suum locum, ut alia penè omnia, quæ hic diximus. sed quando quidem ex singulis delibamus, de illis quoq; est aliquid attingendum. Sumitur ergo consolatio, uel ab eo quem consolamur: nõ esse istius generis, non decere tantum ingenium, ueteris studiosum philosophiæ, non probum & pium, non magistratum, non principem, se affluctare. Vel ex rebus, amissam rem non tanti esse, ut dolorem afferat: non esse amissam, sed intermissam: non perditam, sed profectam: nondum esse amissam penitus & deploratam. sustineamus nos, & expectemus exitum, ne quod sapiens consulit, miseri simus ante tempus: multa aliter ceciderunt, quàm metuebamus: plura sunt quæ nos terrent, quàm quæ urgent: ipsum, uelut patrem, filium, aut necessarium ægreferre, sic mœreri suam absentiam, uel casum, uel interitum: illi nihil mali contigisse, imò liberatum asperis & insuauibus uitæ rebus:

profectum

profectum ad beatitudinem sempiternam, uti spes est de uita sanctè & pie transacta, uel de genere mortis tam religioso. itaq; non illius caussa suscipi dolorem hūc, sed nostra: nec ostendere nos illum amare, sed nos ipsos: optimum illi fuisse mori, antequam fieret peior. exosus erat plurimis, aut miser morbis, egestate, infamia, aut periculum euidēs de his. magnus metus de illius moribus. aut tūc opportunißimum mori, quum iucundißimum uiuere: aut eo tempore, quum nihil erat amplius uisurus boni propter conditionem uel publicæ fortunæ, uel priuatæ. Iam ex comparatione rei cum homine: non esse regis, dolere pecuniā amissam, à quo animi magnitudinem, cōtemptum pecuniæ, tanquam ab exemplari quodam cæteros conuenit doceri: uel eum facile recuperaturū quod amiserit, alios non item. non esse magni uiri, nō philosophi, frangi humanis casibus: non, flere filiorum mortem, quum sciat genitos esse mortales: non casum amicorū. postremò, si gentilis dixit, Placet homini, quicquid Deo placuit: num nō æquius est à Christiano cogitari, dici, præstari? nō decet humanam excellentiam inferiorē facere se ijs rebus, quarum natura est domina: hoc enim est ex regina fieri ancillā. Ex animo eius, superfluus est dolor, ex quo nullum peti potest remedium. consilium, unde petitur, uiolentia doloris perturbari.

turbari. Tum exempla adducenda eorum, qui sapienter, qui fortiter pertulerunt impetus fortunæ: ne hoc factu uideatur uel impoßibile, uel difficile. Sed transeamus ad alia. Ea quæ ad utrunque spectant, eo temperamento tractabuntur, ut erga nostra præstemus modestiam, erga aliena curam, fidem, diligentiam, amorem. Sunt tamen hic expostulatoriæ, & inuectiuæ. Expostulamus non rectè esse quid ab aliquo actum, potißimè erga nos, aut res nobis charas. in quo genere imperiosum est, nimis malefactũ dicere, & rem atrocitate uerborum insectari: ciuilitatis uerò & comitatis, caussam addere cur queraris, cur illud rectè factũ nòn sit: & huc se ratio conuertat, ut uelis in posterum non fieri, magisq; solicitus uidearis esse de futuro, quàm dolere de præterito. Sub expostulatione cõtinetur exprobratio: turpis quidem illa, & uix tolerabilis, etiam quum maximè necessaria. ideo auersa est una Gratiarum à duabus, reliquæ illam spectant: per quod significatur, meminisse debere qui accepit, obliuisci qui dedit. Sed interdum cõpellit nos ingratitudo aliena ad exprobrandum, uel pertractos neceßitate, uel dolore. Itaq; sic erit moderanda res, ut ne nimium beneficium tuum amplifices: uoluntatem potius & animum benefaciendi declares ingentem fuisse. Si ita libet, commoueri te quod huic tuo animo animus

mus

mus illius non respondeat, præsertim quum tu egeas, & illi adsit copia gratiæ referūdæ: aut quòd non meminerit beneficij, qui tacuerit, qui dißimularit, quum de honore aut commodis tuis ageretur: seu, quod omnium indignißimum est, pro beneficio maleficium reposuerit, qui læserit adiutus. Expendendum, *cuiusmodi fuerit beneficium. nam quæ ad animum spectant, eruditio, consilia, educatio, minora habentur uulgo, quàm quæ ad corpus, aut fortunas: quum maiora sint reuera, et honestius exprobrentur: maioreq; ingratitudine se alligat, qui præceptori aut educatori gratiam non refert, si potest, quàm qui illi à quo est locupletatus.* Illud *quoq; diligenter cauendum, ne quis uitio communi in æstimandis suis beneficijs fallatur.* Hoc *enim non natura indidit, sed praua consuetudo, ut unicuiq; sua uideantur magna & pulcherrima, aliena non item.* In *exprobratione minari subtracturum se sua beneficia, non est uiro dignum: sed potius, se non fore ingrati similem, nec illius uitio immutatum iri suam probitatem: se daturum operam, ut nō minus posthac sit bonus & beneficus; quin illi etiam benefacturum, quoties existimarit beneficijs suis illi fore opus.* Inuectiuæ, *si ad insectationem uitij, aliosq; ab eo genere uitæ deterrendos parantur, ferendæ sunt: alioqui non uideo, quid iuuet acerba rabie cōgerere conuicia*

& maledicta, caninamq́; facundiã exercere, iuxta uerbum Appij Claudij. Ergo mordeat uitia, homini quantum fieri poterit parcat. Interdum propter uitium impetitur homo, præsertim obfuturus, nisi coerceatur: ut impius, ut hæreticus, tyrannus, latro, ueneficus, fœnerator, fur, corruptor eduliorum, calumniator, seditiosus, imperitus, aut malus institutor. Colore hoc excusantur tot orationes Ciceronis, in Pisonẽ, Gabinium, Verrem, Vatinium, Catilinam, M. Antonium: tot Demosthenis in Philippum, Aeschinem, Midiam. Idcirco ad ea commoda uideatur dirigi tota oratio, quæ erigere conamur, illo homine deijciendo, uelut nobis charißima sint, ac curæ maximæ: ut, religio, patria, ciues, literæ, disciplinæ. Res quæ ad utrunque spectant, sicut fide ac sedulitate sunt tractandæ, ita & scribendæ quoq́;, ut hæ uirtutes in illis eluceant: quemadmodum nullam cõuenit esse epistolam, in qua non uirtus aliqua animi, et grata quædã indoles existat, & quasi se proferat alibi ingenuus pudor, alibi reuerentia, aliàs comitas, aliàs humana quædam & moderata grauitas, tum fiducia erga amicum, fides, beneuolentia, honesti respectus, etiam aduersus inimicos placiditas, & animi quædam æquitas. Vehementer cauendum est, ne quem epistola offendamus, id nanque altißimè insidet: propterea quòd epistola nu

da est

da est omnino, ac patronis destituta: purgator, lenitor nullus ei adest. ille autem relegendo auget uulnus, & maledictum interpretando fit acerbius: nemoq; est, qui non indulgeat suis doloribus, eosq; multo esse maximos arbitretur, ut sua sunt cuiq; charissima. Sic uidemus arctissimas amicitias uno ambiguo epistolæ uerbulo diremptas: quæ à me de rebus medijs sint dicta. Nam in uirtute & uitio quid sentirem, dudum aperui. Res alienas sub narratione licebit comprehendi.

De responsionibus.

Duo sunt in respondendo spectanda potissimum, quæ scripta sunt ab eo cui respondemus, & quo animo. Possunt enim res esse malæ, aut parum rectæ in animo bono: tum condimentum est eiusmodi, ut facile condulcoret amaritudinem rerũ: laudabitur animus, res ipsas pro illo excusabimus. nec res posse nobis molestas esse, quarum talis sit fons, à quo dimanent, mente uidelicet. & leuiter atq; amicè admonebimus, ut uerbis illis paulo deinceps circunspectius utatur, ne tam integer animus à sinistrè interpretantibus per uerba parum cautè ab eo prolata gratiam suã amittat. Sin res sint bonæ, dissimili animo, quid oberit animum ex rebus censere? Itaq; dicemus, nõ dubitare nos de animo, quandoquidem indicia eius, nempe

res ipsas tales intuemur. hic res commendabuntur. Quod factum est à Cicerone in epistola quadam ad M. Antonium de restitutione Sex. Clodij, & de libris P. Clodij. Res si sint in nostram utilitatem, agemus gratias, & agnoscemus amici partes, & sapientis consultoris. si in rem illius, & de nobis est dicendum, id fiat parcè omnino ac modicè. nam illud Thrasonicum est, Orna munus uerbis. Conuenit huic loco uerborum quædam comitas: illum cui damus, maiora esse promeritum: dolere nos, quòd tam effusè, tamq; ambitiosè simus rogati: hoc solum facere, quod nihil magis licuit uel per facultatem nostram, uel per illius uoluntatem. quo schemate utitur nonnunquam Plinius Iunior: ut de Cornelia, & de filia Quintiliani. Prorsum de nobis ipsis dicemus modicè ac moderatè, & nostras laudes extenuabimus: ut reuera mortalium omniū bona perexigua sunt, & prætenuia. quæ uerò nobis tribuentur, referemus uel in benignitatem dicentis, uel beneuolentiam erga nos. quæ habeamus uitia, hæc esse nostra propria: quæ autem bona, esse Domini. magis testabimur nos laudantis probare animum, quàm iudicium: haud falso amorem fingi cæcum: probitatē illius omnia æqui boni facere, atq; etiam laudare nulla laude digna. quod si is error amicitiam nobis & beneuolentiā eiusce uiri conciliarit, seruetur sanè
per

per nos,neq; eximatur caussa rei adeò nobis grata: malle nos ipsum in eam partem falli,quàm in contrariam rectè sentire. Interdū pudoris est ingenui,nihil penitus ad laudationem respondere,præsertim si qua sunt alia de quibus scribi possit. Sin res ad neutrum spectent,aut sint leuiculæ, declarabimus gauisos esse nos illa cognosse,nisi eiusmodi sint quæ ægritudinem animi cieant,ut de bellis.interim agemus gratias,ut D. Bruto Cicero,quòd nō passus sit etiam leuicula illa à se ignorari. Vicißim et nos scribemus ea,quorum est ipse cognoscendi auidus: ut literato de literis, alijs de bellis,alijs de rebus magnis,inusitatis, ridiculis,ut erit cuiusq; uel studium,uel ingenium. Inuectiuæ ac maledicæ epistolæ,uel in totum respondendum nihil est, uel non ilico, ubi est reddita: sed sedata commotione illa animi,& refrigerato ardore illo perturbationis.tum expendendum, quid obijciatur,& quibus de causis. Si meritò reprehendimur, non solum parata est uenia, sed laus etiam confitenti delictum,& cognoscenti, quum licuisset defendere.sin immeritò, magna quæritur ex animi moderatione commendatio,quod non remorderis morsus.dabitur ratione patefacere, cur quicquam uel feceris,uel dixeris:cōuicia uerò fines præterfluere. Si quis ostendat retineri se modestia Christiana, ne maledicta regerat: & spe-

ctare potius quid se deceat, quàm quid illum: rem faciet pulcherrimam, modò ita sentiat, ne aliud gerat clausum corde, aliud ore apertum. Christus non fallitur, cui mentes nostræ sunt perspicuæ: nec est quicquam æquè generosi pectoris, atq; remittere iniuriam. Christianis certe exemplo fit Christi, & ingenti mercede. nam sic quoq; remittuntur nostra scelera à Deo. Porrò quemadmodum epistolis moderata quædam comitas suaue condimentum præbet, ita redundantia comitatum palatis quidem sanis insulsa est penitus, ac ingrata.

De partibus epistolæ.

Quod oporteret significari Epistola, & eum qui mitteret, & eum cui mitteretur: idcirco Latini & Græci omnes statim initio scribentis, & eius qui scriberet, nomē ponebant. prius eius qui scriberet, hoc enim natura prius est, indicari quis faciat, quàm cui. Nam salutationem illam, Parmenonem summum suum plurima salute impertit Gnato: uel metrum excusat, uel parasitica consuetudo: quæ etiam illic, sicut in alijs omnibus, ad risum captandum ludebat. Donatus comicum esse dicit, ac festiuum, & parasiticæ elegantiæ. Sic etiam in Persa Plauti: Salutem dicit Toxilo Timarchides, & familiæ. Nec minus est parasiticum, Domitiano Martialis S. uel certè insolentissimæ arrogantiæ

rogantiæ principis, qui id exigebat. Excusat Ausonius ad Paulinum, quod nomen illius præposuisset suo: Paulino Ausonius, metrum sic suadet, ut esses Tu prior, & nomen prægrederere meum. Nomen in calce epistolæ subscribere, natum est ex subscriptionibus, quas olim principes addebant diplomatis: quarum meminit Suetonius in Nerone. Pòst ubi acrius inuasit animos ostentatio nobilitatis, unusquisque affectauit uideri ortus regio sanguine, & regios mores usurpare, tanquam sibi gentiles & patrios. Alij existimant moderationis esse, postremo se loco nominari: quàm fatuè? quasi minus honestum sit, quicquid ultimum. Non'ne animo legentis primum omniū occurrit, qui scribit? quod si penitus postremus esse cupit, ne ponat initio uel Ego, uel uerbū primæ personæ. Sed hæc sunt ineptissima, quæ conantur rerum naturam inuertere. natura enim primum in quocunque opere facientem constituit. Quæso quid absurditatis habet, si is primus occurrat oculis, qui primus occurrit animo & cogitationi? imò quantumcunque abscondas te, & in angulum chartæ secedas, resoluta epistola statim à primo legêris: nisi iam antea sciat qui legit, à quo mittatur. Epithetis parcebant prorsum, addebant solum si quid muneris gereret, & cui scribebatur, & qui scribebat. M. Cicero

Imperator

Imperator Cn. Pompeio Magno Proconsuli. M. Brutus, & C. Caßius prætores, M. Antonio Consuli. Cicero decimatertia Philippica literas recitans M. Antonij, Antonius Hircio et Cæsari: neq; se imperatorem, nec Hircium consulem, nec proprætorem Cæsarem: satis quidem hæc scitè. Deponere alienum nomen ipse maluit, quàm illis suum reddere. Ab alijs adiectis abstinebatur prorsum. Itaq; nos usurpabimus nostra, quæ sunt professionis, aut functionis: Senatori, Consuli, Quæstori, Episcopo, Presbytero, Curioni. cætera ex praua consuetudine risum potius aut fastidium mouent, quàm ornant. Quid quod præstabilius est, tantũ illum existimari, ut appositis non sit opus: uelut, G. Budæo, Eras. Roterodamo, Th. Moro. In tanta claritudine nominum superflua sunt illa: utraque lingua doctißimo, Theologo summo, uiro clarißimo. neq; enim libris M. Tullij adijcit quisquam, oratoris facundißimi: uel Aristotelis, philosophi acutißimi. Itaque deprehensum est nihil esse grauius, aut decentius, quàm ad Cæsarem sine adiecto scribere, aut ad Regem, quod prudentibus & ingeniosis uiris ualde probatur. Quintiliani & Plinij temporibus cœpit recipi mos, ut omnibus ferè, nisi apertè essent inimici, adderetur Suo. Martialis de charta epistolari: Seu leuiter noto, seu charo missa sodali, Omnes ista suos charta uo

care

care solet. Prisci tantummodo filios, aut uxorem, aut seruos, aut libertos duxerunt suos: ut Cicero, Terentiæ *suæ*, Tulliæ *suæ*, Tironi *suo. Sunt inter homines amicitia coniunctißimos quædam inter- dum amoris significationes. etenim beneuolentia tanquam ignis sæpenumero cobiberi nequit, quo minus foras sese proferat, & patefaciat: ut* Gon- *ralus* Tamayus Hugutiono *unicè charo*, Idiaque- *us* Hieronymo Augustino *dimidio animi sui*, Stra celius Crucio *τῷ αὐτοῦ θυμῷ κεχαριτομένῳ. & quod de amico* Aristoteles *dixit, alteri ipsi.* Exi- *tur ad allusiones ueteris memoriæ, de fabulis aut historijs petitas*: Hier. Ruffaldus Viul Ionathæ *suo*, Patus Barchero Achati *suo*, Theseo, Pyladi *suo. Similes quoq; allusiones ad alia rerum gene- ra possunt transire*: Nic. Borbonius Gulielmo Bu dæo, Varroni *huius ætatis*: Astudillus Io. Gilidæ, *alteri* Aristoteli: Bonamicus Alciato, *id est*, Vlpia no *ipsi regi*: Paulus P. Bembo *polyhistori, non multum* M. Tullio *facundia minori*: Velius Iac. Sa doleto, M. Catoni *integritate propè pari (nã mo deranda sunt immodica) penè dixerim alteri* Pau lo. *Quæ si rarò ponantur, & ad dignos, tũ ab ijs qui credantur posse iudicare, plurimum adferunt autoritatis illi ad quẽ scribuntur. sumuntur enim ceu quædam testimonia. Sed periculum est, ne hæc sicuti alia omnia honoris signa, uel ambitione, uel peruer-*

peruersitate ingeniorum ad indignos transferantur, & prorsus fidem amittant. Amoris autem notæ magis salutationi, quàm superscriptioni congruunt: ne frigidæ atque ineptæ uideantur plerisque, quorum natura fert, ut solis suis capiantur, aliena eis omnia sordeant. Alteræ quoque illæ existimationis & dignitatis, inuidiæ sunt obiectæ: quæ res præclaras solita est semper inuadere, ac arrodere. Sed nomina tamen dignitatum, & munerum publicorum, diligentius sunt ad amicos in superscriptione, & explicatius ponenda, quàm in salutatione. intus enim nos sumus soli, & grata est utrique simplex illa atque extra fucum omnem familiaritas: foris uerò multos habemus spectatores oculos & censores, quibus est satisfaciendum. Sed nos reliqua propositi exequamur. Porrò autem, ut comitatis est, imò uerò humanitatis, in congreßibus salutare: ita statim post omnia bene precabantur. Latini optabant salutem: salutem dicit, Salutem P. dicit, S. dicit P. Græci aliàs, εὐπράττειν, & εὖ διάγειν, quasi felicitatem: aliàs χαίρειν, quasi gaudere. Romanus salutem dicit: & initio statim bonum uerbum Salutis, bonum erat omen sermonis. Pro salute utuntur nonnulli ritu Apostolico, gratia & pace Domini Iesu: quæ profectò salutem omnem exuperat, nec quicquam potest homini optari salubrius. Licebit nonnunquam

quam & alia precari ex argumento epistolæ, ut bonam mentem, bonam frugem, senectam facilem, prosperum coniugium. sicuti est apud Horatium: Celso gaudere, & bene rem gerere Albinouano, Musa rogata refer, socio comitiq; Neronis. Eundem ad modum illud etiam uetus: Si uales, bene est. à Seneca conuertitur: Si philosopharis, bene est. ualere enim hoc demum est. sine hoc æger est animus, corpus quoq;: etsi magnas habet uires, non aliter quàm furiosi aut phrenetici ualidum est. & alia epistola: Si uales, & te dignum putas, qui aliquando fias tuus, gaudeo. Illa uerò manuum oscula pro salute, obedientiam, summissionem, & eiusmodi, barbaricæ sunt uel imperitiæ, uel arrogantiæ. quid enim illi optas pro salute, ut tu manus illius osculere? egregia profectò salus, & magnopere expetenda. Sunt apud Ouidium genera quædam salutationum festiua, & argута: ut, Quam nisi tu dederis caritura est ipsa salute, Mittit Amazonio Cressa puella uiro. Mittit & optat amans, quò mittitur, ire salutem. Hoc modo possent multæ confingi: Salutem dicit, qualem ipse non habet, sed optat: Salutem mittit, salutis expers: Salutem mittit, quæ utinam eò perueniat. quæ poetis conceduntur, item adolescentibus, tum affectibus commotis. Viris autem grauibus non sunt satis congruentes,

quos

quos nec decet ludere, nec animi motibus percelli. Mirantur nonnulli, cur scribens de se tertia utatur persona, & continuò prima: ut, Cicero Lentulo salutem dicit: Ego omni officio, ac potius pietate erga te cæteris satisfacio omnibus. ea de caussa existimant, titulũ illum epistolæ non fuisse partem, sed à tergo epistolæ subscribi solitum, ad monendum tabellariũ, cui nam esset redditurus. Nos adhuc facimus, ideoq; iam multi titulos epistolæ supersedent præponere. Sed fuisse eiusmodi titulos partem epistolæ, & in exordio scriptos, multis & euidentibus argumentis potest planum fieri. Primùm quoties Cicero, Sallustius, Cæsar, Demosthenes, et alij epistolam alicuius referunt, uel suam, uel alienam, sic exordiuntur: Antonius Hircio & Cæsari, Lentulus Catilinæ salutem, L. Catilina Catulo S. Cn. Pompeius L. Domitio S. βασιλεὺς μακεδόνων φίλιππος ἀθηναίων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν. Ouidianæ epistolæ idem illud habent initium, etsi more poetico uariatũ. Quid attinebat, si illa tabellario scribebantur, in historia referre? quum satis fuisset dicere, epistolã esse illius ad illum. sed nimirum epistolam integrã uolebant subijcere ab initio ad calcem. Cicero de lege Agraria: Is uidelicet antequam ueniat Pontũ, literas ad Cn. Pompeium mittet, quarum ego iam exemplum ab istis esse arbitror: P. Seruilius Rullus,

us,tribunus plebis,decemuir,S. D. Pompeio,Cn: F.non enim credo adſcripturum eſſe Magno: nō uidetur,id quod iminuere lege conatur, conceſſuꝛus.Sed apertiſsimè primò lib:Epiſt.Cic.Valeriò Iuriſconſulto S. D. Cur enim hoc tibi non gratificer,neſciò,præſertim quum his temporibus audacia pro ſapientia liceat uti.Non uidetur ſalutatiò poſita à tergo,alioqui quomodo id ſcripſiſſet Cicero,Cur enim hoc tibi non gratificer?quū nihil adhuc de iuris prudentia dixiſſet. Plutarchus in Demoſthene ſcribit, inuentum in libello Demoſthenis initium epiſtolæ eius ad Antipatrū regem Macedoniæ, Demoſthenes Antipatro: nec aliud quicquam.Liuius lib.34. de epiſtola Syracuſanorum ad Marcellum: Prætores Syracuſani Marcello ſuo S. tum ſecundum ſalutem, ut ſolet; rectè eum atq; ordine fecíſſe,&c.& in iure ciuili de negotijs geſtis, Henſenius Apollinaris Iulio Paulo S.Et in ſummo adſcribi ſolitum hunc titulum,declarat Lucianus in Paraſitico: Quin & illud,inquit,mihi perridiculum uidetur, ſi in epiſtolis in ſummo,quemadmodum ſolemus,ſcripſerimus,Simonidi paraſito. Deniq; nulla eſt ueterum epiſtola,quæ non titulum illum habeat, ſiue ab autore ſuo poſita,ſiue ab alio citata. Si is titulus tabellario erat adſcriptus quum mitteretur, certè nihil fuit neceſſe addi,quum ab illo referretur;

tur, aut ederetur ab autore. Sed hac de re argumentorum satis: quæ eò adduxi, quòd non quilibet de plebe, sed docti nonnulli homines sunt in cōtraria sententia, & ita cōtendunt fuisse, quemadmodum ipsi opinantur, solum ob tertiam illam personam Dicit. *nec considerant, non solitos priscos illos homines nomini suo primā addere personam, etiam de se loquentes, sed tertiam: ut in rationibus & contractibus,* P. *Scipio fatetur se debere uel accepisse, uel recipit daturū se, aut quid simile: potius quàm,* Ego P. Scipio *fateor.* In*secutis deinde seculis receptum est, in prima persona dici. porrò epistolæ antiquißimam consuetudinē retinuerunt. Sed transeamus iam ad reliqua propositi.* Fuit *olim mos uetus, quem Seneca usq; ad suam ætatem seruatum scribit, epistolas sic exordiri: Si uales, bene est, ego quoq; ualeo.* Plinius *Cæcilius* Fabio *Iusto S.* Olim *nullas mihi epistolas mittis. nihil est, inquis, quod scribam: at hoc ipsum scribe, nihil esse quod scribas. uel solum illud, unde incipere priores solebant: Si uales, bene est, ego ualeo.* Id *uarijs modis enunciabatur: Si uales, ualeo: Si uales, bene est, ego ualeo.* Dolabella *Ciceroni: Si uales, gaudeo, equidem ualeo, &* Tullia *nostra rectè ualet. &* Cicero : *Terentia minus bellè habuit, sed certò scio iam conualuisse eam.* L. Lu*ceius Ciceroni: Si uales, bene est, ego ualeo sicut soleo,*

leo, paulo etiã deterius quàm soleo. Lepidus Sen. & pop. Romano: Si uos liberiq; uestri ualetis, bene est, ego quoq; ualeo. Interim non adijciebant quicquã de se, quum nõ rectè ualere uolebant significare, animo præsertim: aut sibi esse curæ illorum salutem, suam non item illis. ut Metellus Ciceroni: Si uales, bene est. Cicero Metello: Si tu exercitusq; tuus ualetis, bene est. Quæ particula abijt ex usu, sicut illa in orationibus, Iouem ego optimum maximum: sed nõ ita, quin addi poßit, & aliquando debeat, ornetq; epistolam.

De ordine epistolæ.

Ordo in epistolæ corpore nullus est certus: pro re nata scribendum, & exordiendum undecunq; libuerit. nihil simplicitate illa iucũdius, inelaborata. Cicero, quum narranda habet multa, nõ est ualde sollicitus, quod primum faciat, quod secundum. promiscuè spargit, & refert, ut ueniunt in mentem. prius ubi est absolutum, adiungit quodcunq; est collibitum, ex abrupto. Itaq; & reuocat se crebro, & à se rogat: Quid etiam? quid amplius? quid præterea? Ergo sic interdum narrat, ut nisi prius rationem cognoris, difficile sit distinguere, quod prius sit, quod posterius. Id uerò si quis uelit euitare, & narrare distinctius, ex præceptis narrationis petat, quemadmodum sit acturus. Iã ueluti quædã uincula poteris adijcere,

quæ priora posterioribus coniungant. Habes de hoc,*accipe nunc de altero : audisti de* Britannia, *audi nunc de* Italia:*hactenus de bellis,iam ad literas:de republica satis , nunc de priuata nostra.* Cicero:*Sequere me in campum,ardet ambitus,&c. Sed quum ad persuasionem tendit epistola, maiore artificio erit opus,quod quá nam uia exequeris,ex arte sumito:quin & à primo sunt iam nobis exposita nõnulla.* In *respondendo promptissimum & cõmodissimum est,ordinem eius cui re spõdemus, sequi.Sed fit nõ rarò,ut expediat quædam anteuerti ; sine quibus progredi non posset epistola,& frustra iactarentur multa uerba, illo impedimẽto obiecto, quód statim est amoliendũ: ut si quis in calce,aut medio epistolæ,ingratitudinis aut maleuolentiæ accusetur.huic enim occurrendum est ante omnia,nisi forte ex responsione ad alia facilius diluatur crimen.Exempli gratia:* Garsias *Arabianus* Nicolao Valdauræ *suo* S.*Velim cures mihi tapetes aliquos ad ornandum cubiculum.* Simon *à manu meus annumerabit tibi pecuniam , eamq; in rem mittes aliquem ex tuis, quo fiat tibi negotium leuius.* Nam *etsi mea in te sunt officia nonnulla , tu tamen pro me grauaris quicquam facere,nisi ut multo sit leuissimũ.* Valdaura Arabiano *suo* S.Ex *quo te* Louanij *habitare uelle cognoui , quod uelim tibi bene uertere,*

non

non destiti, quæ ad instruendum tuum cubiculum pertinerent, cogitare. & lintea prouidi, de quo testis tibi erit tuus Simon: et aulæa. tametsi tu me uelut ingratitudinis apud animum tuum uel accusas, uel quod indignius est damnas. quam suspicionem malim tibi rebus ipsis eximi, quàm uerbis. Itaq; *dabo operam, non ut leuißima pro te suscipiam, neq; enim tu es ita de me meritus: sed ut leuißima mihi fiant, quæcunq; pro te suscepero.* In*cidit non rarò, ut ex occasione uerbi aut dicti alicuius ad caput aliud respondeamus longè dißitum, etiam quum priores scribimus. hinc uenit in mentem mihi, ex hoc uerbo uel dicto admoneor, ut de hoc aut illo dicam. & quia mentionem fecit de* Concilio, *scito* Pontificem *et* C*æsarem magnis & longis consultationibus conciliũ aliquod moliri. Sed ut est genus hoc epistolare cum primis liberum, licebit etiam ab ultimis exordiri responsum. ut* Cicero *fecit ad* Q. Cornificium *libro* Epi*stolarũ* 12. *Sunt molles quidã transitus, & lepidi ad continuationem sequentium, uel eorum quæ sis oblitus. Mane paulisper, nã est aliud quod adijciam: non grauabor hoc quoq; adscribere in tuam, uel* Maluend*æ gratiã: quæso ne graueris hoc quoq; legere. iamiam obsignaturo uenit mihi in mentem, quod præteritum minimè oportuit: sed quàm penè exciderat mihi, quod erat præcipuũ?*

quàm multa ſcripſi, qui oblitus eram, id quod iure futurum fuerat primum: leue eſt quod aſcribam, ſed non omittendum tamen. Cicero plerunque nihil horum curat. Ad extremum literarum addi ſolet, ſi quem aut ſalutatum, aut reſalutatum uolumus: aut ſi qui eos ad quos ſcribimus, aut eorum amicos uel notos ſalutarent, reſalutarent ue. Atticæ & Pyliæ S. Dionyſium uelim ſaluere iubeas. Terentia tibi S. D. Pyliæ & puellæ Cæciliæ belliſsimæ S. dices. Saluebis à Cicerone noſtro. Cicero tibi P. S. D. Hinc, ut digredientes, bene precantur mutuò: id enim humanitas docuit. literarum exitus fœlix eſt omen, ut ingreſſus. Græcis eſt ἔῤῥωσο, quaſi Vale: quod etiam Latini, tum & Salue. Catilina apud Salluſtium: Per filios tuos rogatus aueto: puto ex perturbatione animi et tumultu, in quo ſcribebat. quin etiam, Cura ut ualeas, fac ualeas: ſi me amas, ualetudinem tuam cura diligenter: Vale etiam atq; etiam: &, Salue mi Tyro. Hæc uetera. Sed illa aptiora uſui uitæ, & magis profutura: Chriſtum precor, ut quæcunq; egeris, ſecundet, & fœliciter tua omnia ſinat euenire: ſeruet te Dominus: pax & fauor Chriſti ſit tecum: opto tibi bonam mentem. Aegidius Calentius reliquit epiſtolia haud ſanè abſurda, in quorũ calce pro Vale, addit ſemper congruẽs argumento uerbum: ſi quem aduocabat, Curre, uola: ſi cui

nuncia-

nunciabat læta, Gaude: sin tristia, Plorato. Quidam interdum simile fecerunt ueteres, sed non erat in eis perpetuum, ut in isto: Cicero D. Bruto: Vince, & Vale. Fabricius Pyrrho: Tu nisi caueas, iacebis. Sed bene precari est multo decentius & congruentius. Postremò, quoniam è re est illũ cui scribas, & unde, & quando epistolam dederis, cognoscere, locus & tempus adscribebantur. Locus hoc modo: Datum Lucæ, scriptum in castris, Vale ex castris, ex urbe Capua. Data apud Valentiam, in urbe Valentia, Louanij, Lutetiæ, ex rure. Epistolam, inquit Cicero, datam à tribus tabernis: ex castris, ad imam Candauiam. Cicero T. Attico ex rheda scripsit, et de phasello. Ex tẽpore cognoscitur, quæ epistola prior sit, quæ posterior. hinc enim haud rarò uoluntatum pendẽt & sententiarum interpretationes: quemadmodum in edictis, legibus, diplomatis principũ. Augustus horas quoq; epistolis adscribebat, ut est apud Suetonium. Annos illi consulum nominibus denotabant, quibus fasti signabantur, & acta omnia, tum priuata, tum publica. Vnde illud iurisconsultorum: Ne instrumentũ fiat sine die & consule. In epistolis amicorũ rarius adscribebant, nisi rem contineret dignã, ob quã id facerent. Atheniensses habebant suos ἄρχοντας, Græci olympiades, alij alias notas temporũ. Nec solũ tempus præter

mittebant, sed etiam locum: quum nihil referebat addi, uel quia iam is sciebat cui scribebatur, uel ratio materiæ non poscebat. Neque uero in loco & tempore & salutatione erat ullus ordo certus. sic enim scribebant: Vale, Romæ, Nonis Iunijs: &, Vale, Nonis Iunij, Romæ: &, Nonis Iunij, Romæ, Vale. Si quid uel exciderat, uel ueniebat in mentem ut adderent, sine præfationibus id faciebant, rursus apponebant Vale. quòd si iterum liberet quicquam ascribere, faciebant ad eundem modū, iterum uel tertio Vale: itidem quoties placeret. cuius rei exempla sunt quum alia permulta, tum in primis apud Ciceronem 13. epist. ad Atticum. Sed nos pro festis ueteribus utemur nostris. olim illi, Vale quinquatribus, Vale rubigalibus, Vale uulcanalibus, floralibus: quin nos etiam, Vale natali Seruatoris, uirginis matris, ferijs D. Martini, conuersionis Pauli? nisi forte pudet ac pœnitet nos nostrorū diuorum, ad quos nulla est illorum deorum comparatio. Pro Calendis quoq;, Idibus, Nonis, expeditius est diē mensis adscribere, quinto Ianuarij, sexto Nouembris, crepusculo diei, conticinio noctis, multo mane, bene mane, de media nocte, de medio die, in ipso feruore diei, in rigore noctis mediæ, aut extremæ. Romanis consulibus & Atticis ἄρχουσι successit felicior computatio, à nato Domino Iesu, assertore generis humani: Anno

ni: Anno à Christo nato, ab orbe redempto, à filio Dei incarnato, à partu uirginis. Si uaria sint scripta, quod maximè infixum uolemus menti, id repetemus post Vale. ut, Vale mi Honorate, & literas cole, quæ te principem uirum efficient nostræ ciuitatis. Vale etiam atque etiam mi Poblaci, et cura ut ipse è colica mea rectè ualeam. Verùm loci & temporis aßignatio longè uidetur mihi aptior & congruentior negotijs, si statim in capite literarum denotentur. quippe si dies aliquot asseruetur epistola, & res uariæ contingant, maxima sequetur perturbatio, quæ res quo tempore acciderit: sin uerò peregrinemur, nec unde scribamus sciri poterit. Ad effugiendam confusionem hanc negotiorum, Cicero quandoque media epistola signat diem: Hæc scripsi ad quintum Calend. Iunias. Itaq; commodißimũ mea sententia, & ad euentuum rerumq; omnium diuersitatẽ in primis appositum fuerit, hunc in modum, aut similem quempiam scribere: I. L. Viues G. Budæo suo facilem senectam optat. Brugis tertio die Ianuarij, M.D.XXXIII. Cæsarem narrant esse Mantuæ, inde profecturum Bononiam. Agimus epiphaniam Domini. iam pro certo habetur, illum cum Pontifice congredi, & maximis de rebus quotidie consultare, quæ sint toto Christiano nomini cumprimis utiles. Hic dies est octauus Ia-

nuarij,de Concilio ferunt illos agitare:Christus il lis impartiatur suum spiritum.Dies est iam decimus mensis, sum Gandaui, proficiscens Brussellam,accepi literas tuas duabus epistolis eodem fasciculo: ad omnia fermè respondi,præterquam de necessario illo tuo,quem nondum uidi, sed expectatur hic quotidie. hæc epistola, quia fefellit me qui erat profecturus,nondum est missa in hunc diem,qui est prædicti mensis decimustertius.perueni Brussellam, conueni amicum tuum, quem sum de negotio tuo allocutus: pollicetur suam operã omnem:tu,ut soles,quicquid euenerit, magno sis animo. opto tibi fauorem Christi. Iam pudet me tam diu asseruatæ epistolæ, uicesimus est mensis: ex ijs quæ ille est cum Scæuola collocutus, non uidetur esse eo in te animo, quem existimabamus, quum hic esset: sed dum Christus bono sit in te animo,humanas utilitates facilè neglexeris. Saluebis à Cranaueldio nostro,uxori tuæ salutẽ ex me. P. Brixius saluebit à me officiosè & accuratè: item, Beraldus & Tusanus. Quid etiam? quid ad hæc? nam uereor, ne in epistola toties in manus resumpta, desit aliquid, quod non esse adscriptũ doleam.nihil occurrit,adsit tibi Christus.Epistola hæc una sufficerit pro exemplo, ad ostendendam formulam. Salutem & Vale non damno, nec diem & locum in calce: quibus ipse hactenus sum

ſum ſemper uſus, nempe antiquis & receptißi=mis. ſed ratio hæc noua ſcribendi, nec inerudita ui detur mihi eſſe, & præſentium rerum ſtatui con gruentior, non ſolum in Latina lingua, ſed in uer naculis: quibus etiam præcipimus, & proſpici=mus, non ſolum latinæ, etſi huic, uti par eſt, po=tißimum. Adde his, quod precationes magis reli=gioſæ ſunt, magisq́; optabiles. In calce epiſtolæ, ſi ea ſit aliena manu ſcripta, ſignum aliquod adden dum, quo declares eam non eſſe adulterinam, aut ſuppoſititiam, ſed abs te profectam. In quo erat apud ueteres parata fraus, quippe quibus facile eſſet negare abs ſe eſſe miſſam. Cicero in Antoni um, Philip. 2. quem locũ adſcribam totum, quia ſumitur ex prudentia communi: At etiam literas, quas me ſibi miſiſſe diceret, recitauit: homo et hu manitatis expers, et uitæ cõmunis ignarus. Quis enim unquam, qui paulum modò bonorum con=ſuetudinẽ noſſet, literas ſe ab amico miſſas, offen=ſione aliqua interpoſita, in medium protulit, pa=lamq́; recitauit? Quid hoc eſt aliud, quàm tollere è uita uitæ ſocietatem? tollere amicorũ colloquia abſentium? quàm multa loca ſolent eſſe in epiſto=lis, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe uideãtur? quàm multa ſeria, neq; tamen ullo modo diuulgãda? Sit hoc inhumanitatis tuæ, ſtultitiã incredibilẽ uide=te. Sed quid oppones tandẽ, ſi negem me unquam

istas literas ad te misisse? quo me teste conuinces? an chirographo? in quo habes scientiam quæstuosam? qui possis? sunt enim librarij manu.

De superscriptionibus.

De *superscriptionibus nihil habemus antiquorum, quod quidem certò possimus affirmare. qua de causa existimarunt nonnulli, titulos fuisse superscriptiones: quam opinionem paulo ante satis refelli. Sed suspicor multis epistolarum non fuisse additam superscriptionem: sicuti nec intus in calce, locum aut tempus, quum iam alioqui sciretur, aut nihil referret.* Itaq; *ubi is, cui perferenda epistola dabatur, cui nam esset redditurus nouerat, nihil erat superscriptionis opus. ferè autem eam ad rem uel domesticis, uel notis hominibus utebantur; quòd si publico tabellario committerent, is utiq; signa dignoscebat. Sed coniecturarum satis. Superscriptio certè hoc tempore necessaria est. Ea constabit nomine eius, cui mittitur: adiecta uel dignitate, uel functione publica, sicut in titulo: Cn. Pompeio Magno Proconsuli imperatori, Ludouico ab Auyla fiduciario & cubiculario Cæsaris. Epitheta sapientiæ, claritatis, illustrationis, & alia uerè sunt, quod dicuntur, super iecta: non honorant superscriptionem, sed onerant. nihil est eis mendacius, uel absurdius, iam etiam pueri hæc ridēt. At ut in titulo dicitur Suo,*

ita in superscriptione Meo. nam hic qui scribit, iniungit tabellario ut perferat, uel reddat eas literas: alterum enim illorum uerborum subauditur. Fernando à Toleto, herili filio comitis, auripensæ meo: in quo intelligendum, reddes. uel ad Fernandum, &c. in quo, perferes. Familiares, & qui optimè cupiunt mutuò, poterũt uerbum aliquod addere amicitiæ suæ notam, Amico meo unico, maximo, summo, amico multo mihi charißimo, iucundißimo, suauißimo. ad patres, præceptores, tutores, & eiusmodi: mihi semper uerendo, honorandò. sed hæc modicè, seu potius intra modum. Post hæc signatur locus ubi ille sit: Romæ, Lutetiæ, Brugis, Valentiæ. Sunt qui ipsi adferunt loco notitiam & claritatem, potius quàm è diuerso: ut reges & principes. ad hos & ruditatis & ineducationis est, locum adscribere.

De dictione epistolæ.

Epistola imago quædam est quotidiani sermonis, ac colloquij cuiusdam perpetui. hec enim in aliud est inuenta, quàm ut absentiũ sermones referat ac repræsentet. Itaq; illud debet potißimum efficere, ut quàm proximè poterit, colloquia & sermonem familiarem exprimat, prudentum dico & eruditorum. Nam optima quæq; sunt arti æmulanda, quo mediocria saltem cõsequatur. ita est enim unaquæq; ars absolutißima, ut maximè

ad naturam suam accedit. Sermo autē noster quotidianus simplex esse debet, & rectus, et naturalis, dummodo purus & castus: quippe coinquinatus & sordidus, hominum est uel imperitorū, uel dissolutè negligentium. Excultus porrò atq; ornamentis nitidus ac splendens, uel insolentiæ est atq; arrogantiæ, uel putidæ ac puerilis ostentationis. quòd si talem decet esse nostrum sermonē, profectò non aliam esse epistolarem dictionem conuenit, umbram atq; imaginem, & quasi uicariam illius. Itaq; ueteres plurimi, ornari existimabant epistolam simplicitate, & excultissimam esse sine cultu, modò abessent sordes: ut uenerabilior est ille in matrona simplex & parabilis ornatus, quàm splendidus & sumptuosus. Idem in uiris contingit, quos effœminatos esse ducimus, ac moribus parū uiro dignis, si solicitius munditijs uideamus deditos: ut fœdos illos & deuitandos, qui in squalore pœdoreq; computrescunt. Ergo illam unam esse artem epistolarem in eloquendo censebant, nullam adhiberi artem: modò stulti sensus aut inepti, et nimis perturbatus abesset ordo: tum uocabula essent pura eius linguæ, qua scribebatur. grandia enim, selecta, tumentia, affectata, non decori putarunt esse epistolæ, sed irrisioni, ut pauonis pennas in cornicula. Hoc epistolis suis comprobant magni omnes uiri: qui si eisdem de

rebus

rebus in epistola loquantur, quibus in oratione, aut iusto libro, stylum protinus mutant & uerba, totumq; illum rerum & uerborum apparatum: demittuntq; se ad humilitatem illam epistolarem, quæ tanquam frugi puella ac modesta, minimeq; loco claro nata abunde compta est, si absit deformitas & sordes. Ergo Cicero aliter ad amicos loquitur de causa Milonis, aut de prouincijs consularibus, aut de consolationibus, quàm uel apud iudices, uel in senatu, uel in Tusculanis: aliter Augustinus de pietate in libro de ciuitate Dei, quàm ad amicos. alio stylo & inuentione Plinius de laudibus Traiani ad amicos, quàm in senatu. de philosophia Seneca elaboratius in libris de ira, aut de tranquillitate uitæ, aut naturaliũ quæstionum, quàm ad Lucilium. Plato quoq; ad eundem modum. de Hieronymo taceo, qui nõ epistolas uidebatur scribere, sed libros: quamuis ipse de temporis angustia & tarditate notarij, haud rarò conqueratur. Sed ut de Cicerone loquar, eius epistolæ adeò sermonem eius domesticum & familiarem exprimũt, ut ego illum non aliter cum uxore, cum liberis, seruis, familiaribus, in foro, in campo, in balineo, in cubiculo, in triclinio locutũ existimem. Iam ordinẽ ita neglexit, ut undecunq; uisum sit exordiatur, & repetat, & addat, et recipiat se, & reuocet. nihil tale est in orationibus,

aut

aut libris philosophicis. Atticum quoque hortatur, ut scribat quicquid in buccam. Seneca ad Lucilium lib. 10. epist. Qualis sermo meus esset, si unà sederemus, aut ambularemus, illaboratus & facilis: tales esse epistolas meas uolo, quæ nihil habeant accersitum & fictum, sed si fieri posset, ostendere quàm loqui mallem. Apollinaris Sulpitij iudicium, quo Plinij stilum in epistolis Ciceroniano antepostuit, indignum est quod referatur, nedum ut refellatur. nam nec ipse rationẽ ullam sui dicti addit, & imitatorem se profitetur Plinij, à quo abest longissimè, ut hominis iudicium cognoscas. Veruntamen quod de simplicitate dixi, non est hoc uelut in puncto insectili positum, quin liceat intrà illos limites huc se & illuc nonnihil porrigere. Nam sicut in alia omni sermonis forma, ita in hac dispectandum est, quis, cui, qua de re dicat. In adolescente non fertur solum, sed laudatur etiam dictio comptior, lætior, elaboratior, distributio & ordo rerum, descriptio: deniq; commendatur studiosa diligentia. Sunt, qui accuratis ad se epistolis delectantur, ut homines docti, acuti, ingeniosi: alij contemptum interpretantur sui, ni eleganter & ornatè scribas. sunt qui nimiam curam despuant, quasi putidam. Qui aliquid petit, alieno stomacho subseruiat: qui nihil, suo. Res quoq; aliæ secum ipsæ adferunt cultum suum,

suum,ut de bellis,de republica, de moribus: aliā nolunt nisi cum splendore dici,ac ne possunt quidem. Quintilianus sermonem & epistolas solutas uult esse numeris,nisi quum aliquid supra naturā suam tractant,ut de republica,de philosophia, de laudibus & uituperatione. Idem Seneca aduersus epistolæ ornatum adeò seuerus, hæc subiungit: Non me hercule ieiuna & arida esse uolo,quæ de rebus tam magnis dicentur. Neque enim philosophus ingenio renunciat,multū tamen operæ impēdi uerbis nō oportet. Veteres illi,ut de negotijs modò scribebant,simplici illo & naturali utebantur loquendi more:malebantq;,quod est prudentiæ,indoctius loqui,dum apertius: tum errorē in uerbo cōmittere,quàm in re. Vbi aliæ res accesserunt,plus est adhibitum curæ, quod fecit Seneca ipse. Quum uerò nihil fuit quod scriberetur, præter mellitas epistolas,aut etiam felleas, inanes tamen à negocijs,atq; umbratiles,instituerūt eas ornamentis cultuq; cōuestire:ut quæ cognitione rerum non poterāt niti ac sustineri,certè uenustatē atq; ornatu subsisterent. nam alioqui quis unā illarum sustinuisset perlegere,uacuā rebus; & inopem uerbis? Tales sunt epistolæ Plinij Cæcilij. Quin obseruatum est,etiam Marcū ipsum Tulliū aliter ad alios,& alijs de rebus solitū scribere. elaboratius ad Brutum quàm ad Atticum,quum aliquid

quid contendit impetrare, quàm quum narrat: ue lut ad L. Luceium, quàm ad Varronem: quũ consolatur item, ut ad M. Marcellum. Et alioqui ars & exercitatio Ciceronis, & ingenium excellens hoc præstabant ei, ut oblata & naturalia in eo ui derentur, quæ extimo essent producta artificio. Summa hæc est, ut meminerimus esse epistolã, hoc est, puellam plebeiam, in quibus etsi aliæ alijs ornantur excultius paulo & purius, mundum tamẽ patritiarum non æquant, uti nec famulæ domina rum. Aliud est, inquit Plinius, scribere historiam, aliud epistolam, etiam de eodem argumẽto. Idem Plinius pressam & astrictã uult esse phrasim epistolarẽ: sic tamen, ut ne sit ieiuna prorsum ac stri gosa, ne ue arida. habebit fucci aliquid, & eum lepôrem ac gratiam, quæ est in astricta dictione, et simplici illa dicendi nota sæpenumero uel maxima. Ideoq; nec tropos continebit crebros, nec translationes uarias, nec allegorias frequẽtes aut longas, nec confirmationes alias, nec uerba grandia & magnifica, nec concinnam & numerosam structuram: hæc quidem de genere uniuerso. nam in formis uariatur, seruata generis ipsius natura, sicut ostendi. Quæ præcepi de elocutione, transferri ad artem ipsam uniuersam possunt: quæ quũ celari ubiq; par sit, tum in epistola adeò debet eße tenuis, ac propè nulla, ut à magnis ipsis artifici-
bus

bus uix queat deprehendi: & si hoc, uti de phrasi docuimus, dirigendum est ad consideratione personarum & rerum. Quidam de epistolis componendis differentes, de prooemio tradunt, de narratione, confutatione, confirmatione, peroratione, de inuentione, dispositione, elocutione, ex rhetorum praeceptionibus repetita: quod plane est superuacaneum, et loco huic alienum. Primu, quod nulla est fere epistola, quae habeat quinq; illas partes: nec tantum artificium tenera haec puella sustinet. Deinde, etsi prooemio nonnunquam utatur, & colligat ac conficiat argumenta, uel depellat, & ordinem sequatur, rebus in suos locos distributis: idem faciunt omnes sermonis species, consolationes, gratulationes, dialogi, panegyrici. quid ergo? quoties de aliquo illoru praecepta tradentur, omnia artis ferramenta & arma in mediu proferemus? Quae artis sunt, semel oportet exhiberi in genere, ut quando opus sit, singulis accommodentur formulis. nullius enim harum sunt propria, minime omnium epistolae, quae minime uel indiget, uel utitur. Ad doctos & ociosos scribentes, licebit allusiones admiscere, ad fabulas, ad historias, ad prouerbia, ad res naturae ac morum, ad dicta praestantium scriptorum: modo breuiter, non tam explicandi gratia, quam uelut puncto signandi, & indicandi digito. Etiam in re-

conditis rebus utile est ænigmata inserere, quod uidemus Ciceronem fecisse crebrò ad Atticum: ne si literæ in alienas manus deuenissent, atq; aperirentur, proderetur quod illi opertum uolebant omnino esse, & occultum. Etiam uerba græca im miscet altera duarum occasionum, uel quũ aptius id Græcè dicitur, atque appositius quàm Latinè, uel quum non uult à quolibet intelligi. ideoq; abstrusis & Homericis plurimum uerbis, nec passim cuiuis expositis utitur. Nobis quoq; si negotiũ poscat, uelare sententiam nostram concedetur sermone alienissimo ab eo quo scribimus: uelut si Hispanicè sermone Teutonico, aut Britannico. neq; enim, ut paulo antè admonui, de sola præcipimus Latina lingua. Quid quod etiam in ea ipsa uerbo Germanico uel Scotico, ei tamen cui scribimus cognito, sensum obscurare quis uetat, si id rei qualitas efflagitet? Nam Cicero, non quod lingua Græca elegans et exculta esset, ut quæ maximè, uel potius supra cæteras, idcirco res arcanas illa contegebat: sed quòd nota Attico, reliquis uerò ciuibus non tantopere. quòd si aliam à Romanorum usu semotiorem Atticus sciuisset, eam ipsam usurpasset Cicero, in rebus quæ nolebat euulgari. Et quando in cuiusq; principis comitatu sunt homines multilingues, repertum est genus quoddã notarum reconditissimum, cifras uocant, è quibus ne

mo

mo unquam ſenſum exſculpet, niſi abecedarium, & ſignificationem uerborum teneat, quæ inter illos conuenit. quemadmodum nec Laconicam ſcytalam quiſquam legerit, ni bacillum habeat per omnia illi parem, ad quem erat lorum contortum & conuolutum. Sunt etiam in epiſtolis Ciceronis, ad Atticum præcipuè, multa breuia et præciſa: quam autumo phraſin fuiſſe ſermonis latini, familiaris illo utiq; ſeculo. omittit enim uerba potiſsimum, Dico, Mitto, Scribo, Venio.

MISCELLANEA DE VETErum conſuetudine Epiſtolari, tum agendo, tum loquendo, ex Cicerone potiſſimum. Addita ſunt etiam nonnulla noſtri uſus.

ANtiquiſsimi homines Epiſtolas ſolebant in tabellis ſcribere, quod Homerus uates docet in fabula Bellerophontis. is mos durauit uſque ad Romana tempora, uti oſtendunt ſcriptores Latini, Plautus, Cicero, & alij. unde qui literas perferrent, tabellarij nominati: quod nomen etiam nunc manet, quum tabellis iam pridem non utamur, ſed ut alia, propter uim atque uſum eun-

dem γραμματοφόρος est Graecè, & à quibusdam nostris Veredarius dicitur: sed hic nō tam est qui literas perfert, quàm qui ueredis subinde mutatis breui tempore magna itinera conficit: cui literas solemus committere, ut celeriter perferantur. Codicilli quoq; appellationem suam sumunt ex tabellis. Literae dicuntur, & literulae diminutiuè, sicut epistola & epistolium. Exarare literas, componere epistolam, & formare epistolam, et dictare. qui uerò scriberet epistolas domini, librarius, & scriba. sequentibus temporibus notarius: & ab excipiendo, quae alius dictaret, exceptor. A` manu autem, & amanuensis puer est, quo utimur quasi ad manum, in ministerijs intimi cubiculi: qui etiam ad manum appellatur. is interdum excipit quae nos dictamus, uel praescribimus, secretiora quàm ut alijs uelimus communicari, aut leuiora quàm ut necesse sit librarium propter illa accersiri. Formalis epistola est uelut forma, & ea non aliarum illius generis. quales sunt principū, quae ad certam quandam formam, uelut obseruatione religionis conscribuntur. Tabellis succeßit charta, primū membrana Pergamena: huic uerò haec nostra papyracea. Erit genus chartae epistolaris, cuius in apophoretis Martialis meminit, tenue, leue, firmum, aptum epistolis scribēdis. Vna in facie olim scribebant. nam quae duabus essent

ſcripta, ea nuncupabant opiſthographa: cuiuſmodi erat Oreſtes ille Iuuenalis, Scriptus & in tergo, nec dum finitus. propterea quod una tantum facies erat læuigata, & literis recipiendis idonea, nempe interior, quæ carnea ſanè nuncupetur, exterior autem uilloſa. Vtebantur etiã membrana deletili, palimpſeſton dicebant. Cicero Trebatio: Nam quod in palimpſeſto, laudo equidem parſimoniam. neſcio tamen quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, quàm hæc non ſcribere: niſi fortè tuas formulas. non enim puto te meas epiſtolas delere, ut reponas tuas. Rationes loquendi in epiſtolis hæc propemodum, & eiuſmodi uſurpabant: Qui epiſtolam perferet, pertulit, perfert. quorum primũ ſpectabat tempus poſt ſcriptionem, alterum poſt redditionem. tertiũ eſt tẽpus præſens, quod latè ſolet extẽdi: ſicuti, Quis prandet apud nos? Barcherus et Patus: de pranſuris. Nihil habebam quod in præſentia ſcriberem, ſcriptione dignum, ad te præſertim: nullum erat argumentum, nulla materia, cauſſa, occaſio ſcribendi, ſcriptionis, epiſtolæ, literarum: eoq; breuior eſt, erit, hæc epiſtola. nam nec tu inanibus literis delectaris: & ego non iam, ut ſoleo, epiſtolas libens mitto ſcholaſticas atq; umbraticas, in quibus nihil ſit negotij præter comitates, officioſa uerba & mellita: tametſi hæc ſatius eſt exercere,

quàm facundiam caninam. Tam multum habeo, uel est, quod scribam, ut initium non uideã: ut neq initium, nec exitũ inueniam. propter hanc dubitationem meam breuior hæc epistola est. Sed tamen ita distinebar, ut uix huic tantulæ epistolæ tempus habuerim. noli putare pigritia facere me, quod non mea manu scribam. Ad Plancũ scripsi, misi, habes exemplũ. Ad senatũ quas literas misi, uelim prius perlegas: & si qua tibi uidebuntur, cõmutes. Ad has literas statim mihi rescribe, tuorumq; aliquẽ mitte, si quid reconditũ magis erit, meq; scire opus esse putaris. Et si manè Harpalũ miseram, tamen quum haberem, cui rectè darem literas: & si noui nihil erat, eisdem de rebus uolui ad te sæpius scribere: non quòd diffiderem diligentiæ tuæ, sed rei me magnitudo mouebat. En quantam epistolã ex quàm tenui initio deductã, quantum exaraui chartæ, quum uix tres uersus scripturum me à primo existimarẽ. Sed quid ego nõ imitor laconismũ tuũ? altera pagella procedit. Quid aliud? quid restat? nunquid sum oblitus? excedit? fugit? Permultum, permagni interest quo tibi hæc tempore epistola reddita sit: an quũ solicitudinis aliquid haberes, an quũ ab molestia uacuus esses. itaq; ei præcepi, quem ad te misi, ut tempus obseruaret epistolæ tibi reddendæ. Nam quemadmodũ coràm qui ad nos intempestiuè adeunt, molesti sæpe sunt;

pe sunt: sic epistolæ offendunt, non loco redditæ. Coràm me tecũ hæc eadem agere sæpe conantẽ, deterruit pudor quidẽ penè subrusticus, quæ nũc expromam absens audacius. epistola enim nõ erubescit. Manu mea scripsi, manu tua scripsisti, manu mea ipsius; manu propria mea, negat Valla dici. Brutus tamen; De uoluntate, inquit, propria mea. Scripta iam epistola Hermia uenit, accepi epistolã tuam uacillantibus literulis. redde nobis superiorem epistolam, & appinge aliquid noui. Vale, Da operã ut ualeas, Cura diligenter tuã ualetudinẽ: hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale, et matrem, meosq; tibi cõmendatos habe. Vale, & Salue, quarto Calendarum, Calendas Decembres, ad quartum Calend. Decembres, ante diem quartum Calendarũ, quasi quarto die ante Calendas. Nuncij nobis tristes, nec uarij uenerunt de Qu. fratre, ex & ante diem Nonarum Iunij usq; ad pridie Calendas Septembres. Contulit hoc negotiũ, siue distulit in ante diem sexum Iduũ Maij, usq; ante diem quintum Calendas Maias, hoc est, usq; ad diem quintum ante Calendas Maij, ut recte interpretatur Budæus. Balbus, Sub posteà quàm literas communeis cum Oppio ad te dedi: quod durum admodum uidetur. Epistolam perscriptam complicabant, uinciebant lino seu filo, addebant ceram. Quodam uerò tempore proce-

res Romani ceram quandam ex Asia aduectam, ut refert Cicero pro L.Flacco.in cera signum imprimebant ex gemma annuli.Cicero in L.Catilinam: Ac ne longum sit Quirites,tabellas proferri iußimus,quæ à quoq; dicebantur datæ. Primũ ostendimus Cethego,signum cognouit, nos linũ incidimus.tum ostendi tabellás Lentulo, & quæsiui,cognosceret'ne signum: annuit.est uerò,inquam,notum signum, imago aui tui,clarißimi uiri,qui amauit unicè patriã & ciues suos.Idem Cicero:Obsignata iam epistola superiore, non placuit ei dare cui constitueram, quòd erat alienus. itaq; eo die data non est. Hæc scripsi raptim, præproperè,perturbatè,quod ex literis ipsis & sensis facile conijcies.quæso festinationi meæ, & breuitati literarum des ueniam.Nos item complicamus epistolam,quæ si non sit deuincta, est solutilis,uel apertilis:ut quas alicui mittimus legendas prius,quaàm reddat.filo deuincimus uel supernè,uel transfixam:interdum quoque fibra ex eadem charta, quum signum non habemus. commissura quoque chartacea, uel orbiculari parua: uelut in negocijs mercatorum. uel magna commissura obsignata,ut ad proceres. itaque dicitur uel deuincta filo,uel astricta commissura. Solet nunc interstitium uacuũ relinqui inter salutationem & ipsam epistolam,pro dignitate eius ad

quem

quem ſcribitur, uel amplius, uel aſtrictius: uocetur id ſanè margo honorarius. Qui literas perferũt, ſunt tabellarij. è quibus alij ſunt ordinarij, alij extra ordinem, lenti, celeres, ueredarij, per equos diſpoſitos magnis itineribus euntes, coniungentes dies noctibus. hi accipiunt precium uecturæ, ſeu pro uectura, appenſis epiſtolis, nõ numeratis. Reſpondentes uerò, hiſce locutionum generibus utebantur, Accepi literas: Plinius etiam recepi dicit. Redditæ ſunt mihi literæ tuæ amantiſsimæ, ſuauiſſimæ, blandiſsimæ, iucundiſsimæ, expectatiſsimæ, amicæ, comes, ſalſæ, feſtiuæ, plenæ humanitatis et beneuolentiæ: uel acres, acerbæ, inſipidæ, dentatæ, maleuolæ, rabioſæ, rabioſulæ, fatuæ, dementes, imprudentiſsimæ. Accepi literas tuas duabus epiſtolis, duas uel tres epiſtolas eodẽ exemplo, manu tua ſcriptas, manu ſcribæ, manu liberti tui. Treis uno die à te accepi epiſtolas, unam breuem, quam Flacco Volumnio dederas: duas pleniores, quarũ alteram tabellarius T. Vibij attulit, alterã ad me miſit Lupus. Puer à ſorore tua miſſus, epiſtolam mihi abs te allatã dedit. Accepi tuas tres. Plinius: Poſt longum tempus epiſtolas tuas, ſed tres pariter recepi, omneis elegantiſsimas, et quales à te uenire præſertim deſideratas oportebat: quarũ una iniungis mihi iucundiſsimum miniſterium, ut ad Plotinam ſanctiſsimam fœminam literæ tuæ perferantur:

ferantur:perferentur.eadem cõmendas mihi Pompilium Artemisiũ,statim præstiti quod petebat. Sed ad Ciceronem reuertamur. Obuiam mihi fuit tabellarius.at ego statim:cedo inquam,si quid ab Attico? Si quid erit occultius,& ut scribis,reconditum,meorum aliquem mittã,quo fidelius ad te literæ perferantur. Etsi iusta & idonea usus es excusatione intermißionis literarum tuarum,tamen id ne sæpius facias rogo. Accepi literas ab eo qui misit:accepi à tabellario,qui reddidit. Damus literas ad eum cui scribimus,damus tabellario: tabellarius reddit,atq; etiam interdum dat: etsi hoc rarius. Accepi literas tuas ab Acasto,seruo meo: quas quidem quum expectassem iam diu, admiratus sum,ut uidi obsignatam epistolam,breuitatem eius;ut aperui,rursus σύγχυσιν literularum, quæ solent tuæ comptißimæ & clarißimæ esse. sic ille. Videlicet,breues et parui momenti epistolas non solebant obsignare,sed complicatas solum mittebant in modum codicillorum. Misit ad me literas, quarum exemplum hic habebis. Literæ à Cæsare uenerũt,literæ à Catone sunt adlatæ. Cicero filius Tironi: Quum uehementer tabellarios expectarem quotidie,aliquando uenerũt post diem quadragesimum & sextũ,quàm à uobis discesserant: quorum mihi fuit aduentus optatißimus. Expecto tuas literas de multis rebus,teipsum multo magis,

gis. Scripsisti ad me epistolā plenam cōsilij, summæq; tum beneuolentiæ, tum prudentiæ: eam mihi Philotimus postridie quàm à te acceperat, reddidit. Q. Seruilius perbreues à te literas mihi reddidit, quæ mihi tamen nimis longæ sunt uisæ. iniuriam enim me accipere putabam, quòd rogabar. Accepi à te aliquot epistolas uno tempore, quas tu diuersis temporibus dederas. Ac uelim posthac sic statuas, tuas mihi literas longißimas quasque, gratißimas fore. Quod epistolam cōcisam doles, noli laborare: salua est domi, petes quum libebit. Epistolam tuam, quam accepi ab L. Aruntio, conscidi innocentem: nihil enim habebat, quod nō uel in cōcione rectè legi posset. Resoluta epistola, continuò uidi quod cupiebam, uel quod metuebā. Libentißimè legi tuas literas, in quibus iucūdißimū mihi fuit, quod cognoui meas tibi redditas esse. Ex literis tuis cognoui, intellexi, accepi, factus sum, redditus sum certior: nihil certū de te habebamus. Domitium aiunt futurum sine fascibus: quum id scies, facies ut sciam, fac sciam, faciā ut scias, ut noris, ut intelligas. Particulam literarum tuarum, quas misisti Octauio, legi missam ab Attico mihi, particulam literarum legit mihi Atticus. In capite tuarum literarum, in medio, ad medium, in calce, fine, extremo, ad postremum hæc erat literarum tuarum clausula. Habeo, habebā literas à fra-

tre:

tre:non tamen dicitur habui,pro accepi. Respondebo tuis literis ordine,uel promiscuè, non seruato ordine. Tuam rationem scribendi sequar, quoniam uidetur mihi optima, commodißima, appositißima. uel ut commodius rescribam, nec οἰκονομίαν meam instituam, sed ordinem conseruabo tuum, & respondebo primum postremæ tuæ paginæ. Ego respondebo tibi ὕστερον πρότερον, ὁμηρικῶς. Epistolas tuas accepi duas: prior recentiorem habebat diem, altera antiquiorem. Vetus epistola, & recens: dies prior, posterior, recens, antiquus, uetus: item dies repetita, quum uetustior est quàm quo epistola fuit scripta. Hæc & alia inueniet permulta, qui ueteres, sed Ciceronem præcipuè, diligenter euoluerit.

Salutandi formulæ usui nostro aptæ.

Salutationem uoco, non primã illam, quæ est scribentis ad eum cui scribitur, nempe primi ad secundum: sed primi ad tertium per secundũ, uel per quartum quum scribet, quum uidebit, quum quid ad eum mandabit. hinc à tertio ad secundum per primum, à quarto ad secundum per tertium solum, uel per tertium ad primum. Quorum omnium exempla sunt hæc: Saluta, dic salutem, Salutẽ annunciabis, precaberis meo nomine, meis uerbis,

bis,pro me,mea uice,Petro à Toleto hoſpiti meo. Saluebit à me Rodericus Manricus meus. Iubebis ſaluere Gomezium Benauidium. Significabis Ioanni Manrico à Lara, accepiſſe te literas à me, quibus iubeo illum ſaluere: accepiſſe me literas à Duce Beiaris Franciſco,quibus iniūxit,ut ſi quando uel tibi,uel illi ſcribam,adiungam ei S. ſuis uerbis. Si quando Morum conueneris,admone hominem,ut quum ad Roffenſem Epiſcopum mittet literas,adſcribat,precari me læta omnia,ac felicia. Io.Claymondo patri meo S. & ſenectam leuem ac facilem: cui epiſtolam hanc dabis legendam, tanquam ad eum quoq; ſcriptam. Quum hoc literularum ad te exararem, aderat, uel interuenit, uel nunciauit mihi Al.Viruesſius,uti ſuo nomine S. tibi impertirem, ſalutem impertirer,S. optarem,et optimè euenire quòd filiam probiſsimam iuueni collocaſſes,tum Chriſtophoro Mirandæ filiolam gratularberis ſalua uxore. Quum ad Morum dabis literas,uel nactus fueris qui eò proficiſcatur, & mandata ad illum miſeris, ne obliuiſcare accuratiſsimam mea uice ſalutationem adiungere ipſi & liberis: ſed in primis Margaritæ Roperæ meæ, quam ego ex quo primum noui,non amaui minus,quàm ſi mihi eſſet ſoror germana. Quum aliquem tuorum mittes Segobrigam,præcipe ei, ut quærat ibi aliquem ex familia

lia ducis Alburquercani,*cui mandet, ut si Cuelarem proficiscatur, salutet mihi* Bartholomæum à Cueua *ducis fratrem, uerbis amantißimis, & officiosißimis.* Tersulæ,*quoniam quod optimū in pueris est, hilarula est, meis uerbis suauium des.* Illud *est animaduertendum, non omnes salutationes omnibus congruere: nec similiter ignotos, aut leuiter notos debere salutari, ut amicos et familiares. non idem debere iniungi superiori, quod pari. nō omnes metiendi sunt eadem decempeda, sed gradatim & distinctè, ut emineāt signa uoluntatum: in quo prudentia est opus.* Curionē,*si quando tibi occurrerit, si uideris, si uoles, si uacabit, si erit tibi commodum, salutabis paucis uerbis, leuiter, suffrigidè, suo ipsius more.* Quum *adibis Cæsarem, obseruata occasione, precaberis illi meo nomine propitium numen, ut tanta regnorum moles feliciter sub eo administretur ipsi & populis.* Oro te *uir clarißime, ne graueris institutori tuorū liberorū* S. *ex me nunciare.* Salutat te P. Clodius: *egò uerò precor tibi meliorem salutem, quàm ab illo.*

Resalutandi.

Respondet, *cui uel scripsimus, uel mandauimus, executum se quod erat iniunctum per se, uel per alium, literis, aut mandatis: uel non licuisse, aut noluisse, quia non deceret, nō expediret: tum quid salutatus responderit.* Exempla *sunt huiusce generis:*

generis: Quod erat in extremo tuæ epistolæ, uel in extrema epistola, aut charta, in fine, in calce, in postremo literarũ. ut, Ioannem Feuynum nostrum salutare feci, & quidem perlibens. is uerò, ut est ingenio suauissimo & amantissimo suorũ, lætissimus de te audiuit. resalutat te plus millies. salutationem tibi remittit Cranaueldius noster, cum fœnore incredibili. salutem optat tibi ueram & solidam: optat tibi, quæ sibimet ipsi: precatur tibi omnia euenire ex animi tui sententia, omnia prosperrimè, felicissimè, faustissimè tibi & tuis. non potui ipse Vergaram salutare pro te, quod unicè cupiebam, quoniam aberam, quoniam me aduersa ualetudo domi continebat. mandaui Gonzalo Tamyo: is renunciat, incredibile dictu quàm grata illi fuerit tua salutatio, quamq; eam remittat tibi accuratè & copiose cumulatam. Exhilaratus est uehementer Francus Leardus ad commemorationem Petri Mexiæ sui. multo etiam magis ad salutationem, quòd significares te sui meminisse. planè amat te, & reueretur bona fide. nihil non optat tibi faustum & lætum. Ain tu, salutari nos à Nicolao Vottono? de quo iam pridem audiebamus omnino nihil. quæso iube eum à nobis saluere, & meminisse ueteris nostræ amicitiæ, ac familiaritatis Louaniensis. M. Crassus misit S. chartaceam, ut solet: mallem auream, hoc dunta-

zat tempore. redde tu illi pro me chartaceam itatem, aut si mauis, aeream, quum illum conuenies. Grata fuit salutatio Vdalli. ego illi pro salute lignea uel chartacea, reddam argenteam. Salutem Gabriel Valdaura hoc tempore ad me? quin potius literas, & quidem copiosas de rebus suis omnibus, aut nostris communibus? renuncia ei, non expectare me ab eo salutationes, sed epistolas: aut quod matrona illa castißima marito scribit, Nil mihi rescribas, attamen ipse ueni. Claudius ergo S. mihi? satius esset cædi ab alio, quàm ab illo salutari. Piso nobis Sal. rogo te an serio? quo ore? quo uultu? quibus uerbis? nam est admodum subdolus, & maleuolentiam blanditia uerborum assueuit occultare. Sed uincamus bono malum, repende ei salutationem plena manu, & uerbis amantißimis. Cum Demetrio nolo mihi esse rei quicquam: meliore ac commodiore utemur eo, si nullus penitus sit nobis usus cum illo. procul quæso ab hac pice, ne inquinemur. crede mihi, ericius est, ne accedas propius. Fabium Gurgitem nolui salutare tibi, ne insolescat. Cornelio Nepoti non reddidi tuam salutationem: ueritus ne arrepta unius colloquioli occasione, insinuet se in meam familiaritatem. nosti quantus sit irrependi artifex: & admissus quàm molestus sit, atq; importunus, & excussu difficilis.

De

De breuitate epistolæ.

Illud præterea iam olim quæsitum, quàm breuem esse epistolam conueniret. Nam Demetrius Phalereus, seu quis est alius, longam epistolam librum appellat, non epistolam. Et L. Senecæ hæc sunt uerba lib. Epist. 6. Ne epistolæ modum excedam, quæ non debet sinistram manum legentis implere, in alium diem hanc litem cum dialecticis differam. Quanquam eius ipsius epistolæ interdum quoq; dextram bis implent. Ciceronis etiam aliquæ, ad Atticum præcipuè, ad alios quoq; nonnullos uolumina sunt, non epistolæ: quas se ideo tam longas ait conscribere, quòd dormire nõ poßit. Idem ad eundem, ait se interdum λακωνικὴν σκυτάλην mittere. & ad D. Brutum, imitari λακωνισμὸν illius. omnia temperabat personis, & negotijs: quum expediebat, & scribebat fusè, & sic ad se gaudebat scribi. idcirco Brutum increpat, quòd in medio ardore ciuilis belli, breues ad se literas dedisset, quum negotia longißimas flagitarent: ut sciretur explicatius, quid ageret, quidq; esset acturus. Morosis, incognitis, amicis simulatis, breues: itidem occupatis, aut ijs quos eo scribendi genere uidebat delectari, quasi multa paucis uerbis concluderent. cuiusmodi erat D. Brutus. Noui item amici breuibus sunt epistolis initiò tentandi, ut amnes

 ignoti

ignoti cunctabundè. Sunt qui uel mediocres epistolas loquaces iudicent, atq; aspernentur. Sunt qui epistolium iniuriam interpretentur. Demus tamen operam, ne in alterutro modum excedamus. si necessaria omittas, omnes sunt nimis breues: si superuacanea infarcias, omnes sunt nimis longæ. Multum te accõmodari conuenit ingenio illius cui scribis, et pro ratione materiæ licebit in fine aut breuitatem excusare apud illum, qui longas cupit: aut prolixitatẽ apud eum, qui breues. illa excusatur negotijs, aut nostris, aut illius: & pudore, ne obstrepamus aut interpellemus in maximis occupatiũ. prolixitas excusatur rei qualitate, dulcedine cum illo colloquendi. Nihil perinde uidetur mihi alienum ab epistolis, quàm diffusa in locis communibus iactatio: nisi fortè libri sint potius de sapientiæ præceptis, aut de studijs humanitatis, uel encyclopædia. Epistolia, & codicilli, quæ paucis uerbis acutam quampiam sententiam concludunt, plurimum habent uenustatis. Quum licebat, noluistis: nunc quum uultis, nõ licet. Quòd si nihil habeant insolens, superbum, fastidiosum, mitti possunt uel ad reges ipsos, ac principes, & homines quantumuis superciliosos. Hieronymus Salinas Theologus, Inacho, Mẽdozæ, Cardinali, Episcopo Burgensi, ardentem pietatem precatur. Lutetiæ, natali Io. Baptistæ, 1533.

1533. *Scio prudentiæ tuæ non esse opus consultore: memoriæ autem, propter uarietatẽ & magnitudinem negotiorum, nonnunquam. Itaq; rogo te, memineris nationis studiosorum hominũ: nam de uoluntate in illos tua nihil dubitamus.* Marcus Laurinus Carolo V. Cæsari Augusto, regi Hispaniarum S. *Nec abs te contendo, ut mea causa iustitiam uioles: quod nec tu faceres, quantumlibet rogatus. nec uelim te per ignorantiam iniustè agere. Itaq; libellum hunc, quem custodiæ iustitiæ tuæ confeci, oro attentè legas. tales erant* Lacedemoniæ *epistolæ, & responsiones, quæ etiam in prouerbium uenerunt.* Res malè gesta est: *qui superfuere milites, esuriunt.* πρὸς τὰ γὰρ ὁ μὲν γραφθέντα, ναὶ ἢ οὔ. *Sunt qui in respondendo repetant, ceu epistolæ illius capita, ad quã rescribunt: quod solet in grauibus fieri negotijs, & tamen accuratius, quum à nonnullis lectum iri responsum arbitrantur, non lecta epistola prouocante.* Nam *hoc fine etiam in leuioribus fecerunt quidam, ut ij qui suas epistolas cogitabant edere, non editis ad quas rescriberent: sicuti* Plinius & Politianus. *Fit hoc interdum compendij gratia, & ut lectoris tum labori, tum intelligentiæ consulatur.* Ad*de etiam, quoniam in disceptationibus nostra causa magis ea uia adiuuatur, quum quæ ille uel eloquentia conuestiuit, uel muniuit coloribus, robo-*

 rauit

rauit argumentis: nos omni detracto præsidio, oculis subijciamus nuda atq; inermia, qui astus erat oratoribus peruſitatus. Ergo unaquæq; epistola uirtutem aliquam habere debet, uel in rebus, uel in dictione, qua commendetur, libenterq; & ab ijs legatur ad quos mittitur, & à posteris quoq;, si ad eos perueniat. unde multæ placuerũt epistolæ, refrixerunt & iacuerunt plures.

De autoribus epistolarum.

Antiquissimæ enim epistolæ extant Platonis perpaucæ, & Demosthenis. hinc M. Tullij amissæ quidem multæ, sed multæ etiam in hanc usque ætatem reseruatæ, in quibus præter uerba & dictionem, quibus uir ille cæteros omnes scriptores, Latinos duntaxat, tanto post se interuallo relinquit, plurimũ inest et ad respublicas, et ad priuatas iudicij ac prudentiæ. Senecæ epistolæ uolumina sunt de philosophia. Accommodatior ad usum Plinius Cæcilius, eorũ præsertim qui de negotijs priuatis, aut rep. nõ scribunt: nam huiusmodi melior Cicero. Plinius uerò succinctus, & festiuus, & facetus, et acutus, et frequens cõcinnis sententijs, doctis atque acutis ingenijs mirificè est aptus: qui scholasticas inter se mittunt epistolas et umbraticas, ut idem ipse ait, quibus oportet plus ornatus & condimenti adiungi, quando rebus non perinde nituntur. Sparsæ apud Græcos feruntur

runtur complures. Luciani dilucidæ ac faciles, Philostrati picturatiores quàm decet hoc sermonis genus: utræq; inanes sunt, & leuiculos habent sensus. Synesij itidem non parum elaboratæ, metaphoris potissimum. Sunt nonnullæ Basilij, Gregorij, Libanij, & aliorum, breues argutæq;, scholæ & hominibus ociosis congruẽtes magis quàm negotijs. Sed redeamus ad Latinos. Post Plinium scripserunt epistolas Christiani homines, suis temporibus non Christianorum solum, sed omnium quoque sine controuersia eruditissimi. Tertullianus durus, nempe Afer: Cyprianus non perinde, etsi eiusdem gentis. Augustinus item Afer, mollior, sed minus tersus ac comptus. Hieronymus ardens & uehemens, ut uideatur semper ad iudices dicere de causa capitali. Ambrosius lenior ac placidior, aliquot interdum locis subturbidus. Symmachus nec magnitudine rerum, nec gratia sermonis potuit conseruare famam posteriorum. Sidonius Apollinaris Aluernas, obscurus, perplexus, fauorem iudiciorum nec consecutus est, nec meretur. Longo post hos interuallo uelut stellula inter densissimas tenebras emicuit Franciscus Petrarcha, prolixus, ac plerisq; locis morosus, difficilisq;, & multum trahens ex rubigine ac situ suorum temporum. Multo pòst sequitur, qui ætate auorũ primus cœpit in Italia latinè balbutire,

Gasparinus: cuius epistolæ uel hac de causa merentur laudem, quia in seculo doctorum primæ. Huic succedunt Leonardus Aretinus, parum adhuc excultus: tum lingua tersiores, Philelphi duo, pater & filius, sententijs inanes et subfrigidi, nec compositione satis grata. Poggius, garrulus, nugator & rabula. Pius secundus Pontifex, qui & Aeneas Syluius, natura felix, infelix arte. Aegidius Calentius, & Campanus, non contemnendi: quanquam hic in ostentationem est maxima ex parte compositus. Sabellicus ubiq; copia & facilitate, & iucunditate sui similis, Pomponius Lætus Romanæ puritatis adeò studiosus, ut nec Græcè quidem scire uoluerit, ne quid alienum sonaret, aut admisceret linguæ illi Quiritium. ita & uerba habet electa, & dictionem satis castigatã. Io. Picus, & Ang. Politianus, magni. huius uerba facile complectaris atq; exosculeris, illius nõ possis non probare. Ille sententiarũ pondere & sanctitate dictionis excellens: hic acumine & festiuitate amabilis, nisi quòd laudis nimia cupiditate supra epistolæ limites assurgit: ludit etiam non rarò, & lasciuit. rebus quoq; displicere posset seueris & eruditione præstantibus, quia multus est in materia leuißima & minutißima sui ostentator: & in eos quibus non probaretur, acerbè maledicus. Allubescunt hæc quidem adolescentibus;

uelut

uelut pugnæ & certamina: grauibus autẽ & san ctis uiris insuauia sunt. et imbuuntur teneræ men tes duobus uitijs humanæ societati perniciosis, ia ctantia, & amarulentia linguæ: quodq; est indi= gnius, de rebus uilißimis, de literula, de syllabula, de uocula, de intelligentia uersiculi, uel negligen= di, interim etiam obscœni, & moribus damnosi. Grauior est Hermolaus Barbarus, & disciplina rum cognitiõe sine ulla prorsum cõparatione ex cultior, sed duriusculus, & perplexus. Admiscuit se his philosophaster Marsilius Ficinus, ut olorib. gauia: atq; epistolas cõposuit, ut de Platonicis quæ stionibus disputaret, dictione inuenusta & mole= sta. Epistolis Frãcisci Pici, etsi minus tersis quàm patrui, magis tamẽ deest genius, quàm uel dictio nis elegantia, uel sententiarum pondus. Rodol= phus agricola, si ipse sua emendasset, maximis quoq; ueterum potuisset comparari: tanta erat in illius eruditione soliditas & sanitas, atq; acri= monia in iudicando. Ioannis Capnionis epistolas nuper uidimus, simul & natas & extinctas: adeò damnauit eas tacitus doctorum consensus, ut uix potuerint paucos uitæ menses impetrare. Chri= stophorus Longolius nimia cura imitationis bo= nam naturam corrumpit. Verba habet Cicero= niana, mira religionis ne an superstitionis obser uatione: sensis est ineptior, propterea quòd dicta

grandia rebus exiguis aptabat. Non enim satis illi erat, uerba & phrasin Ciceronis miro studio imitari, nisi etiam totum Ciceronem exprimeret, rem illam publicam simularet, & curam imperij, quo totus orbis continebatur: priuatus ipse, & in angulū studiosi secessus abditus. in quo tam erat ridiculus, quàm si gigantis uestitum induisset, & uerba ac pronunciationem gigantis effingeret, ut gigas crederetur. legendus tamen, propter uerba. Superant scriptores omnes ætatis huius, & æquant eos, qui patrum atq; auorum memoria uixerūt, ingenio, eruditione, facūdia, Erasmus Roterodamus, & Guilielmus Budæus, *uario & diuersißimo dicendi genere, sed uterq; in suo præstans:* Erasmus *facilis & dilucidus, ut alias semper:* G. Budæus *nouo quodam atq; inusitato dicendi genere est delectatus, quod sit admirari quàm imitari promptius. Pauli epistolæ augustiores sunt, quàm ut illas fas sit sub nostram censuram uenire.*

FINIS.

D. ERASMVS ROTERODA-
[illegible] Petro Paludano S.

VIcisti me tandem, humanissime P. habes toties efflagitatam à nobis scribendarum epistolarum rationẽ. Sed uide interim, dum tuæ morem gero uoluntati, quantis me calumnijs ipse obiecerim. Quid tandem Critici dicent? imò quid non dicent, ubi uiderint me ausum tractare rem à multis tam diligenter ac scitè tractatam? Vis tu, inquient, Penelopes telam retexere? post tantos autores? Aut eadem dicas necesse est, aut deteriora: quorum alterum superuacaneum est, alterum etiam perniciosum. Ego uerò quanquam multa alia habeo quę respondere possum, unum hoc tamen dico, nullius qui de hac re aliquid conscripserit, me uestigijs inhæsurum. Accipe itaq; breuissimam, maximeq; compendiariam, conficiendarum epistolarum formulam: tibiq; hoc unum persuade, nõ uerbis tantum illas, sed arte etiam indigere. Vale, saluta amicos communes.

BREVIS-

BREVISSIMA MAXIMEQVE COMPENDIARIA conficiendarum Epistolarum formula, per Des. Erasmum Roterodamum.

Epistolæ definitio.



PISTOLA VARIE A' scriptoribus Latinis definitur, sed eodem penè sensu. Libanius Sophista Græcus epistolam finit hoc modo: Epistola est absentis ad absentem colloquiũ. Porrò colloquium sermonem familiarem interpretamur, ut intelligamus epistolam nihil ferè à communi sermone quotidianarum collocutionum differre: nimisq; errare eos, qui tragica quadam grandiloquentia in componendis epistolis utuntur, atque ibi omnes ingenij uires effundunt, atq; splendorem quærunt, copiæq; & ostentationis gloriam, ubi minimè opus est. Esse enim epistolicus stylus simplex debet, ac ueluti negligentiusculus: nam est etiam quædam negligentia diligens. Exemplo sunt Plinij Cæcilij epistolæ acutæ, elegantes, expressæ, in quibus nihil nisi domesticum, quotidianum: sed omnia tamen latina, casta, ornataq; leguntur. Cumq; sit stylus ille multa arte atq; ingenio,

nio,cultuq; subactus atq; elaboratus, illaboratus tamen pene,subitus atq; extemporarius uidetur. Obseruandum uerò illud in primis est, fugienda esse uerba accersita, antiqua, nimium affectata, repetitaq; ex Aboriginũ seculis: quibus hodie pleriq; corrupti & cacozeli utuntur, uerba noua atq; inusitata anxiè quærentes, ut doctiores uideantur: neq; existimantes rerum gratia uerba esse inuenta, scribente ita Horatio in Arte poetica:

Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ,
Verbaq; præuisam rem non inuita sequentur.

Superuacaneum quidem penè fuerat, post M. T. Ciceronem, ac Fabium Quintilianum, idem toties repetere: nisi quidam hodie reperirentur uerborum aucupes, atq; anxij captatores, qui unius uerbi causa tantum epistolam condere parati sunt. cumq; uoculam unam longo labore quæsitam epistolæ inseruerint, putant se palmarum fructum reperisse: ac tunc maximè suam barbariem ac balbutiem indicant.

De exercitatione & stylo. Cap. I.

Caput igitur illud primum sit, rem totam acutè, ingeniosè, prudenter disposuisse. Quando in tanta latinæ linguæ opulentia uerba propria, apta, atq; ad rem ipsam significandam nata, deesse non poßint. Exercitatione itaque opus est, & stylo non mediocri. Scribendum uerò quàmplurimum,

rimum, & quàm diligentissimè. quoniam stylus optimus effector est & magister dicendi, ut aptè apud Ciceronem Crassus dit. Et ut terra altius effossa generandis alendisq; seminib. fœcundior est, sic profectò non à summo petitus stylus studiorũ fructus effundit uberius, & fidelius continet. Primum itaque summa sollicitudine ac styli diligentia utendum. sed nec sine frequenti assiduaq; scribendi exercitatione extemporalis facultas, amplissimus certissimusq; studiorum fructus, nec solida dicendi fiducia parari potest. Stylus itaq; frequens & opulentiam nobis parit, copiamq; sermonis, & mirabilem adfert dicendi scribendiq; promptitudinem. Porrò tardus primùm stylus esse debet, & diligens, cum uaria multipliciq; autorum lectione. habendus est rerum ac uerborũ delectus, & pondera examinanda. Neq; ocurrentibus primum uerbis, ac statim sese offerentibus incautè utendum est, ut quidam faciunt, captantes prima quæq;, atq; auidè arripientes. Suspecta est enim facilitas illa, qua plerique imprudenter exultant & gloriantur. Quare Sallustium constat, Quintiliano referente, in scribenda historia fuisse tardissimum, et Vergilium paucissimos indies uersus componere solitum. Nunquam profectò feliciter inueniet, neq; aptè collocabit, neq; ornatè scribet ac politè, qui primum & stylo, & iudicio

dicio lento usus non fuerit. Mora enim melius so lidiusq; iudicium paratur, refrigescitq; inuentionis amor. Quare falluntur, qui multa stylo primum quàm uelocissimo scribere conantur. Diligentia enim in primis opus est: quanquam mox & feliciter sequitur stylus, & uberior ac promptior. Celeritatem enim dabit consuetudo, ut Fabius ait. Paulatim res sese facilius ostendent, uerba respondebunt, compositio sequetur: cuncta denique, ut in familia bene instituta, in officio erunt. Cæterùm fugienda est eorum morosa nimis diligentia, quibus nullus est seipsos calumniandi finis, & quibus nihil unquam satis placuit. Neque enim promptum est dicere, uter eorũ peccet ualidius: is'ne cui omnia sua placent, aut cui nihil satisfacit. Relinquenda est infinita illa cura, & curandum ut quàm optimè scribamus, sed scribendum tamen pro facultate. Adsit ergo ipsi diligentiæ quidam modus.

De imitatione. Cap. II.

Quoniam uerò artis pars magna imitatione continetur, ab autoribus lectione dignis uerborum sumenda est copia, & uarietas figurarum, & componendi ratio, tum ad exemplum uirtutum omnium mens dirigenda est. Stultissimum uero est (ut Plinius in epistolis ait) non optima quæq; sibi ad imitandum proponere.

Circa

Circa imitationem exactissimo iudicio opus esse.

Quapropter exactißimo iudicio circa hanc partem studiorũ opus est. Examinanda *sunt omnia, primumq́; uidendum est quos imitemur.* Imitandi *uerò sine controuersia sunt, quos multorũ seculorum consensus probauit.* Atq; *in epistolis* Cicero, *quanquam latinæ eloquentiæ princeps, plus naturæ dicitur habere quàm artis.* Plinius *uerò plus artis ac diligentiæ. uterque tamen optimus.* Sed *nec ij soli legendi: legendi enim sunt & alij, qui sese ad ueterum imitationem compararunt. Quibus* Politianum *iure adnumerandum censeo, propter incredibilẽ rerum nitorem, exactamq́; diligentiam, qua in quibusdam epistolis est usus.* Senecam *uerò doctis tantum legendum putant: quod quanquam eximia uir doctrina fuerit, stylo tamen usus sit sterili & circunciso, cum fœcundioribus scriptoribus alenda sint adolescentum ingenia. alioqui magnas uirtutes in eo non quantum ad mores modò pertinet, sed etiam ad literas ac elocutionem, non difficile deprehendẽt ij, qui in uaria lectione uersati fuerint.* Nec *legendæ modò epistolæ eorum, quos imitari uelimus: sed scripta alia, quæcunque ad phrasim prouectamq́; eloquentiam faciunt.* Etenim *sicuti non*

unius

unius generis sunt epistolæ, sic nec eiusdem generis scriptores nobis eligendi. Quare qui ex omni albo operum M. Tullij Ciceronis epistolas tantum eligunt, aut officia, Ciceronis sese discipulos profiteri non debent. Legendus est enim totus: quippe qui uarius, sibiq; dißimilis, ut in uario dissimiliq; genere materiæ.

De iudicio. Cap. III.

Imitationi itaq; subest iudicium. nisi enim iudicio apprehendatur, non modò nihil prodest, sed obest etiam perniciosißimè. Videndum igitur qui nobis imitandi sint, ne corruptißimos pro optimis ac probatißimis deligamus. Porrò qui Ciceronem sibi ducem atq; antesignanum proposuerit, neq; eloquentiæ, neq; acuminis, neq; dispositionis pœnitebit unquam. Falluntur tamen, qui existimant imitationem per se sufficere. uerum est enim illud Quintiliani: Pigri ingenij est, contentum esse ijs quæ sunt ab alijs inuenta. Quid enim, inquit ille, futurũ erat temporibus illis, quæ sine exemplo fuerunt, si homines nihil nisi quod iam cognouissent, faciendum sibi aut cogitandum putassent? nempe nihil fuisset inuentum. Quare rectè exclamat Horatius in imitatores: O imitatores seruum pecus, ut mihi sæpe Bilem, sæpe iocum, uestri mouere tumultus. Et profectò nemo potest eum æquare, cuius uestigijs sibi utiq; insistendum

stendum putat. Necesse est, eodem Fabio autore, ut semper sit posterior qui sequitur. Et sunt quæ dam in oratione maxima, quæ imitabilia nõ sunt: ingenium, inuentionis facilitas. Arte igitur opus est, & præceptis, deinde imitatione & iudicio, postremò frequenti stylo ac exercitatione. Cæterum oritur quæstio, an scribendarum epistolarũ ars aliqua dici poßit. quidam enim naturali ratione & quotidiano latinoq; sermone contenti, artem esse aliquam scribendi negant, & nostram hanc rident diligentiam: exemplo magni nominis professorum, quorum aliquis interrogatus, quid esset schema & noema: Nescire se quidem, sed si opus esset, esse in sua declamatione, respondit. alter percontanti, Theodoreus ne, an Apollodoreus esset: Ego, inquit, pernullarius sum. Sed quis est adeò non ab eruditione modò, sed communi sensu remotus, ut fabricandi, texendi, & è luto uasa ducendi, artem aliquam esse putet: sermonem autem, quo nihil est secundum rationem præstantius, arte ac præceptis nihil egere? Non dißimulandum tamen, quosdam contrà sentire, quotidianis scilicet familiarißimisq; epistolis nullum adhibendum artificium rhetoricum esse, sed constare illas naturali quodam sensu, & communi oratione: frustraq; ad artem confugere eum, qui epistolam ad amicum de re inopinata ex tem

pore

pore scribere uoluerit, oblato scilicet argumento, non quæsito. præsenti enim consilio utendum esse, quo nihil est in stylo magis præcipuũ, quia uarie, & ad rerum momenta uertitur. Expedit enim interdum mutare ex constituto & tradito ordine aliqua, & nonnunquam decet, ut in statuis ac picturis uidemus uariari habitus, uultus, status, pro re nata. idcirco utilitas quibuscunque præceptis & magistrorum autoritatibus præferenda est: sed ita tamen, ut artis ipsius ratio et frequentior sit, & potior. Quo magis ridiculi sunt, qui omnes epistolas in salutationem, exordium, narrationem, & conclusionem partiuntur, inq; ijs putant totam artem consistere. Neq; enim ijs simul omnibus semper, sed nec frequenter admodum opus est. atq; ut in orationibus pleraq; mutantur causis, temporibus, necessitate, occasione: ita in epistolis maximè, quæ & uario constant argumento, & ad diuersi cum generis, tum ordinis, tum ingenij homines scribuntur, nec uno tempore, nec loco. Prudentia itaq; opus est, artis ipsius uel socia, uel parente. Qui enim ex uno præscripto loqui omnia uel scribere conantur, uirium parum habeant necesse est. Qui uerò nunquam præcepta sequuntur, & quò se cunq; rapit impetus, sequuntur, percurruntq; uelut effusis habenis, & soluti fluentes, multa licenter ef-

funditant, scilicet sine delectu. Quare utrique rei adhibendus est modus. Quanquam uerò confitendum illud, doctrinam detrahere aliquid stylo, ut limam rudibus, & cotes hebetibus, & uino uetustatem, uitia tamen detrahit. atque eo solo minus est, quod literæ perpolierunt, quo melius est, ut Fabius inquit. Nec audiendi illi, qui maiorem uim habere credunt ea quæ non habent artem: ut effringere quàm aperire, rumpere quàm soluere, trahere quàm ducere putant esse robustius, ut Quintilianus scribit. Videntur quidem indocti copiam habere maiorem, quod dicunt omnia, & nulla lege cohibentur: sed soluti & exleges impetum sequuntur, quum doctis elocutio sit & modus. Non ergo illa est uis, sed uiolentia: nempe eorum qui sine labore, sine ratione, sine disciplina disertos sese uideri uolunt.

De tribus generibus causarum.

Cum ergo tria sint causarū genera, quibus orator utitur, demonstratiuū, deliberatiuū, iudiciale, ut Ciceroni et Quintiliano placet: ad hæc tria epistolarū species omnes esse reducendas, facilè is intelliget, qui latentē in ueterum epistolis artem excutere aliquādo tentauerit: quiq; fastidito triuiali isto scribendi ac loquendi genere, legē sequi certamq; rationē maluerit, quàm paßim ac sine delectu tumultuari, quod infrà latius explicabitur.

Demon-

Demonstratiuum genus.

Demonstratiuum genus constat laude & uituperatione, quod quidem primò ad ostentationem fuit compositum, mox etiam à Romanis negotijs ciuilibus adhibitum. funebres enim orationes ex publico pendent interdum officio, atq; ex senatusconsulto sæpe magistratibus mandantur. Hominis *uerò laus, ex animo & corpore, & extrà positis peti debet, ut &* Aristoteli *&* Quintiliano *placuit.* Ad hoc *itaq; genus referendæ sunt epistolæ, quæ uel laudant aliquem, uel uituperāt, ea ratione quæ suprà posita est.* Eius *generis est epistola* Plinij *, cuius principium est ; Si quando urbs nostra, &c. primò* Euphratem *philosophū* Plinius *ab animi bonis, eximijsq; uirtutibus, ut humanitate & eloquentia: deinde à bonis corporis, & à corporis proceritate, decora facie, demisso capillo, ingenti & cana barba: postremò ab externis, quanquam leuiter & obiter, ut cum eum dicit* Iuliani Pompeij *clarißimi iurisconsulti & consulis generum fuisse.* Eius *generis est epistola apud eundem:* Petis *ut fratris tui filiæ, &c. laudat enim* Minutium *ab honestate morum, clara patria, clarisq; parentibus: & ab ea maximè uerecundia, qua magistratus plurimos gesserat: deinde à facie liberali & ingenua, à totius corporis*

pulchritudine,& quodam senatorio decore: deniq; ab amplis facultatibus,& maximo censu maiorum. Inueniuntur aliæ & apud alios,& apud ipsum epistolæ simili artificio compositæ, ex quibus unicuiq; promptum est, suæ epistolæ artem & rationem desumere. Totidem uerò modis uituperatur quis,quibus laudatur.quare superuacaneum uidetur hoc adijcere. Ad hoc genus pertinent non modò hominum, sed urbium, uillarũ, montium, & locorũ descritiones, quæ plerunq; & orationibus & epistolis necessariò incidunt. Cuiusmodi est apud Ciceronẽ Siciliæ descriptio. In ijs autem postremis,speciem intuemur & utilitatem:speciem in maritimis,planis,amœnis: utilitatem in salubribus,fertilibus. Addendum illud: nullum esse genus cui plus ornamenti liceat adhiberi,aut in quo indulgere sibi plus poßit orator. Nam & poeticè euagatur nonnunquam, & sese uelut extra præscriptos cancellos agit,uti in panegyricis fieri uidemus. Sed epistolæ suus est modus.In descriptionibus huiusmodi utendum uerbis quàm maximè proprijs & ornatis. Et interdum lætius agendum:nec historicè modò,sed poeticè etiam. Poeticè quidẽ:ut quum amœnißimam uillam describentes,eandem Musarum, Nympharumq; contubernium esse dicimus:quale est Virgilianũ illud in descriptione portus Carthaginensis,cùm

sis, cum inquit: Intus aquæ dulces, uiuoq; sedilia sa xo, Nympharum domus. Etenim si id in oratione non negatur, cur idem in epistola non liceat, quæ & familiaris est, & plerunq; ab ociosis scribitur, non expectato etiam argumento? Etenim ut sit ars epistolis adhibenda, solutius tamen est & liberius totum hoc scriptionis genus. Orationum enim, ut inquit Fabius libro nono, quædā iuncta est atq; contexta, seu perpetua: soluta alia, qualis est in sermone & epistolis: nisi quum aliquid supra naturam suam tractat, ut de Philosophia, republica, & similibus rebus arduis. Porrò ut quisque optimè rem aliquam descripsit, ita nobis studiosè imitandus. In locorum quidem descriptionibus Liuius, interdum & Sallustius: sicuti in alijs Plinius, præsertim ubi uel regionis, uel beluæ alicuius ac feræ, piscis, arboris, herbæ, floris, folij, radicis, formam depingit, ac ueluti penicillo deformat. Plurimū enim in hoc genere ualuit Plinius. nec satis est unum eius autoris exemplum inspexisse: legenda enim omnia, quoad eius fieri potest, ac deligenda sunt optima quæq;, ut non modò copiosi, sed etiam uarij ac multiplices fiamus.

Deliberatiuum genus.

Nunc ad deliberatiuum genus transeundum, quod multas species complectitur epistolarum. Nā & suasoriæ sunt epistolæ, & dissuasoriæ, hor-

tatoriæ, & dehortatoriæ, petitoriæ, monitoriæ, amatoriæ, de quibus postea suo ordine dicetur. In primis uerò notandum, deliberatiuū genus, quod suasorium dici potest, utilitate ac honestate definiri. quanquam cum utile dicimus, honestum etiam uolumus intelligi: quando nihil utile dici potest, quod idem honestum non sit. Quare in hoc genere spectanda maximè ea est utilitas, quæ honestati coniuncta sit, neq; suadere, persuadere, dissuadere, hortari, dehortari, petere, mouere possumus, nisi ad supradictum scopum omnes, ut ita dixerim, styli sagittas collimauerimus. Huius tamen potius generis partes sunt, honestum, utile, δυνατὸν, quod nostri poßibile nominant: quæ ut dura uidetur appellatio, tamen sola est, ut Quintilianus ait. Quas partes non omnes in omnem cadere quæstionem, manifestius est, quàm ut docendum sit, etsi plerique numerum augent, à quibus ponuntur ut partes, quæ species sunt partium. Nam fas, iustum, æquum, pium, mansuetū, & si qua adhuc adijcere quis eiusdem generis uelit, subijci possunt honestati, autore eodem Fabio. Iucundum uerò, quod usq; adeò etiam ad persuadendum ualet, ut in quibusdam causis de sola iucunditate sit deliberatio. Sed tum demum maximè id ualet, cum honestatis speciem præ se fert aliquam, aut potius cum honestum etiam est ac

laudabile.

laudabile. nemo est enim adeò luxu solutus, ut nihil in causa suadenda sequatur præter uoluptatem. Quare ut honestum iucundo condiendū, ita iucundum honesto muniendum & adiuuandum. Sæpe etiam utilitatem despiciendam esse dicimus, ut honesta faciamus: ut Opiterginis damus consilium, ne se hostibus dedant: quanquam perituri sint, nisi fecerint. Et utilia honestis præferimus: ut cum suademus, ut bello Punico serui armentur, cum serui tamen pœna capitali à re militari arcerentur, autore Martiano Iurisconsulto. Sed tamen nec hic planè concedendum est, esse id inhonestum. Liberos enim Fabius ait natura omnes homines, & eisdem constare elementis, & fortasse etiam antiquis nobilibus ortos dici potest: & quanquam serui, homines tamen, ut Seneca inquit. Commendatitia quoque epistola à quibusdam sub deliberatiuo genere comprehenditur; nam commendantes aliquem alicui, factum nostrum probare nitimur, honestum, facile, atq; utile esse. Nam laudantes eum quem cōmendamus, honestam cōmendationem nostram ostendimus. Ac primum quidem in hoc genere utimur principio aliquo, uelut captantes beneuolentiā à modestia nostra: ut quum dicimus nos timidè ad id officium descendisse, nec nisi precibus aliorum coactos, ac eorum quos commendamus. Deinde

describendo eorum studia & mores, dignos mon strantes uel amicitia & familiaritate, uel benefi= cio aliquo ac munere eius ad quem scribimus. lau damusq; interdum eos à generis claritate, aut à patria, sed multo efficacius ab ingenij doctrinæq; dotibus, ut à modestia, fide, diligentia, dicendi fa= cultate, aut alia quapiam insigni eruditione. Effi cacissima tamen illa ratio est commendandi, quũ gratos illos & memores beneficiorum esse dici= mus, quum ingratis hominibus quicquid confer= tur, perire quodammodo existimetur. De facul= tate autem necesse est ostendere, posse ab illo ad quem scribimus, hunc nostrum iuuari aut orna= ri: quod etiam interdum per alios fieri potest, nempe amicos eius ad quem scribimus. Huius ge neris exempla multa sunt apud Ciceronẽ & Pli= nium. sed una epistola Pliniana sufficere potest, cuius in secundo libro principium est: Et tu occa siones obligandi me, &c. Horatiana illa breuis ad Claudium Neronem (nam & hoc uersu fieri po test) qua illi Septimium amicum suum magnope re commendat. Vtiq; illud spectandum in primis, ne quos commendemus indignos. Nam eiusmodi commendationis ferè comes est pœnitentia, quod & rectè in epistolis præcepit Horatius, ita scri= bens: Quem cui commendes, etiã atq; etiam aspi= ce, ne mox Incutiant aliena tibi peccata pudorẽ.

Monitoriæ

Monitoriæ quoque epistolæ & hortatoriæ, &, (quando contrariorũ eadẽ disciplina est) dehortatoriæ, eadem propemodum ars et ratio est. Sed ubiq; præsenti utendũ est consilio, quod artis maximam partem continet: atq; adeò ualet, ut præcepta omnia ab eo sumpsisse originem uideãtur. Petendi quoq; ratio eisdem ferè locis constat, sed huic generi adhibenda est remunerationis species aliqua. Quale illud est Virgilianum, in Aeoli ad Iunonem oratione petitoria, quæ & ipsa incredibili constat artificio: Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ, Quarũ, &c. Quare ut res tota breui pomœrio circunscribatur, honestum, utile, facile seu poßibile, ad deliberatiui generis substantiam in uniuersum pertinet.

Iudiciale genus.

Nunc ad iudiciale ueniendum est. Iudiciale genus, quod multiplex est & uarium, officijs potissimũ constat duobus, intentionis, ac depulsionis. Intentionem nunc dicimus accusationem, quũ crimen reo intenditur: depulsionem, cùm reus obiectum crimen defendit, & à sese procul amolitur. Itaq; accusatoriam epistolam, obiurgatoriã seu criminatoriam, inuectiuam, seu uituperatiuam, in hoc genere reponimus: quanquam & hoc, ut sunt mixta inter se tria illa genera, sub demonstratiuo comprehendi poßit. Excusatoriã uerò,

seu

seu culpæ deprecatoriam, prædictis annumeramus: in quibus omnibus, argumentis pugnacissimis ac rationibus utendum est. Adiecerunt quidam mutuam accusationem, quæ Græcis ἀντικατηγορία, Latinis recriminatio dici potest, cuius duo genera Fabius facit: Alterum, quo litigationes, hoc est, idem crimen inuicem intentant: alterum, quo aliud & aliud. Difficile est autē in tanta causarum & argumentorum uarietate, huius generis in uniuersum præcepta colligere. Primū illud sine controuersia aduertendum, augere per amplificationē quæ accusamus in alio, sicuti quæ obiecta sunt elidere, aut repellere, aut minuere: qua in re ita inardescit nonnunquam oratio, ut totos affectus effundat. Nam interdum in hoc genere optamus, abominamur, rogamus, ac sollicitudinem quandam uel accusationis nostræ, uel defensionis ostendimus. cuiusmodi sunt hæc: Vtinā nunc reuiuiscat parens tuus. & item: Dij prohibete hæc mala. Te nunc ô Iupiter optime maximeq; rogo, &c. & infinita alia: quæ quanquam orationi magis conueniūt quàm epistolæ, tamen aliquādo omnes affectus recipit. In his igitur frequenter utendum breui exordio, quo ad causam totam arte atq; astu irrepimus: ut quum uel accusantes aliquem, uel culpam deprecātes, infirmos nos esse dicimus, & impares contrà agentes, ne

nimia elati confidentia, nimiam iusticiæ ac probi tatis nostræ fidem faciamus. cuiusmodi procemijs usum Messalam, autor est Fabius. Apta enim sunt eiusmodi exordia ad fauorem emerendum: quan do natura ijs libenter fauemus, quos laborantes uidemus & anxios, nec sibi plus nimio fidentes. Inde illa ueterum circa occultandam eloquenti am simulatio, & procul ab omni fastu posita, simplexq; ac submissa. Vitandum etiam, ne contu meliosi, maligni, superbi, maledici in quenquam hominem ordinem'ue esse uideamur. cuius gene ris exemplum hoc esse potest: Non sum nescius, quàm difficile sit suam innocentiam tueri, aduer sum te tā receptæ autoritatis uirum: cuiusq; tan ta dicendi uis, ut nihil non persuadere poßit: tam fauorabili apud omnes ordines nomine, ut uel ta cens ipse, communi omnium consensu; ab eo ab solui crimine poßit, quod mihi nuper abs te obie ctum iustißimè in te torqueatur. Sentio quàm du ras partes sustineam: quamq; difficile munus, sed necessarium tamen subierim, respondendi ti bi, tam exigua, tam nulla eloquētia nostra, cui eti am si quid erat antehac uigoris, totum id excusa tionis huius anxietas ademerit. Illud notandum, ætatē multum in hac parte iuuari procemio: ut quū iuuenes nos dicimus, aduersarios ueteranos ac emeritos, qui uel solo rerum usu, quantamlibet

uel doctrinam, uel innocentiam nostram euincere possunt. Aut contrà, cum senectam nostram, quàm quietam & placidam esse oportuerat, ab ijs turbari dicimus, qui ætatis nostræ reuerentia timidiores esse debuerant, ac uerecundiores.

FINIS.

METHODVS CONFICIENDARVM EPISTOLARUM per Conradum Celtem.

Quid sit epistola.



PISTOLA NVNCIA *mentis, & uelut quidam est uector atq; internũcius sermonis nostri, desiderijq;, & cõceptus unius ad alterum absentem, rubore aut alio casu loqui, certioremq; reddere nequeuntis significatio: uel, qua cum amicis & inimicis tacitas nostras cogitationes uoluntatemq; communicamus.*

Quàm uaria epistolarum genera.

Epistolarum alia diuina, humana alia est. Et diuina quidem cœlestis, sacra, aut moralis est: Humana, grauia, consolatoria, amatoria, uel amica exprimit.

exprimit. Graue genus seuera, ardua, difficilia, nouaq́; & quotidie accidẽtia continet, puta quæ belli aut pacis tempore ex castris ad urbem, aut ex urbe ad exercitum, & qua simul nouæ historiæ scribuntur. Consolatorium, si amici, uel propinqui, aut chari mors, calamitas, inedia, aduersaq́; fortuna interuenerit, unde nobis consolandi illius offertur occasio. Amicum seu commendatitium, cum amicum quempiam familiarem, notũ aut ignotum literis commendamus. Amatorium, cum dulcia, exhilarantia, & ad amorẽ pertinentia petulanter penè et amanter scribimus. Hortatoria, propria uel aliena promit: & propria quidem, cùm res domesticas & familiares continet, utputa prædia, agros, uinum, pecus, frumentum, seruos, & id genus plura: aliena, cùm filios, affines, familiares, sodales, discipulos, aut Principes, aut quoscunq; alios ad mores, studia, immortalẽ gloriam, ad laudem & decus, ornamentumq́; exhortamur & impellimus. Ex his igitur, aut similibus rebus, epistolas nostras constare necesse est.

Epistola quot partes in se complectatur.

Partes epistolæ quinq; sunt: Principiũ, causa, narratio seu expositio, enumeratio, et character. Initium epistolæ est, per quod animus eius ad

quem

quem scribimus constituitur, & præparatur ad percipiendum. Causa est, quæ animum nostrum impellit ad scribendum. Narratio, *per quam aperimus quid ab alijs fieri uolumus, aut quid factũ sit demonstramus.* Enumeratio, *conclusio est epistolæ, & eius terminus.* Character *est, qui continet ea quæ intra & extra epistolam sunt.* De qui*bus iam ex ordine dicemus.*

Exordium epistolæ, siue principium, quibus sit modis constituendum.

Sicut citharœdi pauca illa, quæ ante legitimũ certamen inchoant, emerendi fauoris gratia canunt: sic scribens epistolam, animũ eius ad quem scribit conciliare curabit. id autem duobus modis fieri poterit, salutatione, et procemio. Salutatione quidem semper, ut nostrum eiusq; nomen præponatur in capite epistolæ: ubi etiam si homo infimus ad maximum Pontificem, Regem, *aut* Princi*pem scripturus sit, nostrum tamen illius nomini præponemus: deinde dignitas officij, ordinis, magistratus, uirtutis nomẽ, tam nostro quàm suo adiungemus: ut,* Cor. Celsus. P. P. Friderico III. Im*peratori* S.P.D. *aut,* Innocẽtio *octauo,* Pontifici Maximo: *aut,* Andreæ Pegaso, *ciui liberalißimo.* Cõtrà *uerò agẽtes neq;* Græcorũ, *neq;* Latinorũ, *sed*

sed barbarorum morē sequuntur: & à pueris nuper inuentum, & à sordidißimis hominibus in assentationis speciem inductum, in quem errorem ferè omnis nostræ ætatis fex currit.

Procemio utimur in epistolis nostris, dum attentum, docilem, & beneuolum eum ad quem scribimus, facere curamus. Hoc autem initijs *epistolarum perquàm necessarium est. illi enim ad quē scribimus, animum permulcemus, ut procedere ultrà poßimus: & quæ scribimus, legantur et admittantur.* Dociles habere poterimus, *si summam rei exposuerimus:* Attentos, *si pollicebimur de magnis rebus & insolitis nos uerba facturos.* Be*neuolentiam habebimus, si à nostra persona, uel ab aduersarijs incepimus: maximè si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, exilium, calamitatem.* Item *cum officia nostra in patriã, in amicos, sine arrogantia tamen referimus: dummodo hæc omnia ad rem ipsam, de qua agitatur, sint accommodata.* De *quibus rebus circa orationis partes à nobis dictum est.*

De causa & narratione, quæ per expositionem fit.

Et naturalißimum est, & fieri debet frequentißimè, ut præparato per ea quæ dicta sunt eius ad quem scribimus animo, res quæ exprimenda

est scribatur. Ea autem est caussa, & eius exposi-
tio, quæ ex narratione pendet. Videndũ igitur no
bis hoc, & quomodo singulas epistolas scribimus
exponendũ. Diuinas narrabimus, si scripserimus
religionem, ceremonias, Deiq; cultum, à maiori-
bus natum & traditum fuisse, nobisq; posteris in
uirtutis famam, decoris et humanitatis exemplũ,
& monumentum relictum, in statuis, simulacris,
sepulchris, sanctißimis ædibus, amplißimis tem-
plis, opibus, & diuitijs, sumptibusq; magnificè ex
tructis, uasis consecratis, & eius generis innume-
ris. Præterea si Deum secundum essentiã & per-
sonas describimus, statum angelorum, ordinẽ cœ-
lorum, loca beatorum, pœnas sontium, fidẽ, spem,
charitatem, obsequium, mandatorum obseruatio-
nem, scientiam uirtutum, urbium salutem, huma-
nam societatem, honestatem, prudentiam, fortitu
dinem, iustitiam, temperantiam, modestiam, o-
pum & diuitiarum contemptum, castitatem, pu
dicitiam, humilitatem, uerecundiam, amicitiam,
& huiusmodi, cum oppositorum & contrario-
rum uituperatione, adductis exemplis & histo-
rijs, scripserimus. Horum autem exempla in epi-
stolis Pauli, Diui Iacobi, Ioannis, Diui Hierony-
mi, Platonis, Senecæ, Augustini, aliorumq; do-
ctißimorũ uirorum inueniri possunt. Circa quod
cauendum summopere est, ne in barbariem cum

nostri

nostri seculi & rudis uulgi hominibus cadamus. Nihil itaque nobis legendum erit, nisi quod castè, limatè, tersèq; scriptum est. ab illis autem imperitè & negligenter scriptis ita cauebimus, sicut à calamitate atque labe ingenij. Inquinata enim lectio sordes lectori ingerit, & mentem illius simili coinquinat tabe. Graue uerò genus epistolarum exponemus: si amoto urbano, statum ducis, militum, reipublicæ, exercitus declaramus. Et si animum fidum erga reipublicæ salutem, amota seditione, eius suspicione cum ciuium incolumitate aperimus. Et ista quæ ab aduersarijs facta fuerint, exponimus, si obsidiones, si induciæ tractentur. At si suspicio interuenerit, illa excusanda est, ut si ciuis Romanus ab urbe exul cum exulum multitudine profectus fuerit, aduersus quem Populus Romanus Pontificem Maximum & Imperatorem legauerit, qui bellum contra eos mouerit, illi inscio populo cum Romano Pontifice, aut Imperatore sermonem habuerint, ita excusatio formanda est: Innocentius Octauus, Pontifex Maximus, & Imperator Augustus, S. P. D. S. P. Q. R. Deum sanctosq; & homines testor, Patres Conscripti, qua mente, & quo animo semper in rempublicam fuerim, ut hac nihil antiquius & communius saluti & libertati uestræ iudicauerim,

 quod

quod uobis breui probassem, nisi fortuna proprium consilium extorsisset. nam exercitus cunctus consuetudinem suam in ciuibus cōseruandis, deq; communi pace seditione facta, retinuit: me tantæ multitudinis ciuium Romanorum, & salutis atq; incolumitatis caussam suscipere, ut ueré dicam, coegit. In qua re ego uos, Patres Conscripti, oro atque obsecro, ut priuatis offensionibus omißis, summæ reipub. consulatis, & ne caussam uestram exercitus nostri in ciuili dissensione sceleris loco ponatis. quod si salutis ac dignitatis rationem habueritis, melius & uobis, & reipub. consuletis. Valete, ex castris, pridie Kalendas Quintil. Consolatorium autem exponemus, si nos dolore eius ad quem scribimus, à scribendo deterreri ostendemus: et si ea lege nos homines natos scripserimus, ut ictibus telisq; fortunæ exposita uita nostra sit: meminerimusq; cum fatis ineuitabilibus nobis luctandum non esse, quibus nemo proprio consilio resistere potest. Præterea minus recusandum eße, ut ea qua nati sumus conditione, uiuamus: ne'ue tam grauiter eos casus feramus, quos nullo consilio uitare possumus. Etsi cogitauerimus, quod alijs euenerit antea, nobis quoq; nouum non accidisse intelligamus. Idq; exemplo non quidē catholico, uerùm gentili probabimus: ut, Fridericus Romanorū Imperator, Emanueli Paleologo, Imperatori

ratori Constantinopolitano S.P.D. Etsi egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sim, propterea quòd nullã rem grauius tuli quàm incommodum tuum: tamen te magnopere non solũ hortor, uerumetiam pro amore nostro rogo atque oro, te colligas, uirumq́; praebeas. Et qua cõditione omnes homines, & quibus temporibus nati simus, cogites. Plus tibi uirtus tua dedit, quàm fortuna abstulit: propterea quòd adeptus es, quòd non multi homines noui: amisisti, quae plurimi homines nobilissimi. Ea deinde uidetur conditio impendere legum, iudiciorum, & temporũ, ut optimè actum cum eo esse uideatur, qui uita superstes sit. Tu uerò & qui fortunam aduersam expertus, & liberos habeas, & nos caeterosq́;, qui necessitudine & beneuolentia tecum coniuncti sumus, magnam nobiscum facultatem habiturus es, & cum tuis omnibus. His de causis debes istam molestiam quàm leuissimè ferre: meus autem in te animus erit, liberosq́; tuos, semper quem tu esse uis, & qui esse debet. Vale.

Amicum autem epistolarum genus, aut commendaticium, aut amatorium: urbanum etiã, uel hortatorium est. Commendaticium quidem fit, si quos commendamus, amicitia, beneuolentia, amore, affinitate, aut nobis uicinitate sunt coniuncti: aut si doctrina, ingenio, eloquentia, uirtute, nobi-

litate,dignitate,affabilitate,seu comitate prediti sunt,ut nostra commendatione digni uideantur: eos gratißimos & beneficiorum memores esse di cemus,& à prædictis laudabimus. Ingratitudinis quoq; caussam refutabimus,cum nihil Deo uel ho minibus iucundius,quàm se gratum exhiberi: & rursus nihil turpius,quàm ingratum iudicari. ue luti boues,qui in sterilibus campis iuga ferre no= lunt:et licet pingue solum lasset,ipse tamen labor iuuat. Postea & cōmendationem à quo petimus, honestam,facilē,poßibilemq; esse,per blandimen ta & spem remunerationis exponamus: ut,P. P. Con.Cel.Marco Cardinali Hostiensi Salutem plu rim.Dicit:Quia non est obscura in me tua bene= uolentia,eò fit,ut multi per me tibi uelint com= mendari. Nam cum mihi suprema familiaritas, neceßitudoq; cum Francisco ciue foret, eius fra= trem hominem frugi & modestum, summaq; uir tute præditum , & nobis uehementer proba= tum, tibi maiorem in modum commendo. Gra= tum mihi feceris, si is intelligat meam apud te commendationem magno usui atq; adiumēto sibi fuisse. Vale.

Amatorium autem prosequemur, cum quo= dam animi affectu,blanditijs,querelis,supplicati= onibus miseria plenis,& lachrymis,quas etiam su pra epistolam effusas emiserimus. Item,si munera

& dona

& dona polliciti, corporis membra cum laudis eius ad quem scribimus exuperatione, nostriq; diminutione, cum aliqua uia dissimulationis describemus: aut si gratias habere uoluerimus, animo et corpore, aut fortunæ bonis nos eas reddere ostendemus: matris more, quæ plenis uberibus semper plura reddat quàm recipit: nosq; non spe maiora consequendi, sed animo aperto & hilari cum perpetua beneficiorum commemoratione nequaquam immemores fore exponemus. Huius exemplum esse potest: C. C. P. P. Hasilinæ Eudemiæ S. P. D. Non possum non cruciari, dum mihi in mentem uenis, dum coma illa tua, dum crines & oculi castigatissimi, & benignissima facies, dulcissimum os, et labia suauissima menti se inserunt: dumq; diua illa statura tua animo altius insederit. Sed crudelis & sæua nil mea uerba curas, nil mei misereris, me mori permittis. nescio an fortunæ, an fato, an sorti & iniquæ meæ natiuitati tribuendum sit, ut cum te non modò amem, uerùm adamem, à te uix amari queam. Iam literas legis lachrymis meis illitas, iam locum uides lachrymis deletum: noli ita crudelis esse, sed asta, et ad me accedas, teq; frui permittas. quid enim dulcius? quid iucundius? quàm ut uiuamus, amemus, osculemur, & iocemur? nec ætas, nec munera nobis desunt, quibus gaudere ualeamus: nec ani-

mus perpetuus, qui se tibi totum dedit. Vale, & mei minimè obliuiscaris.

Hortatorium aũt exponemus, si ostendamus nos nil gratia nostri aut alterius, sed eius ad quem scribimus petere: idq; fiducia, beneuolentia, & necessitudine. Deinde incõmoda quæ sequi possint, si non fecerit id ad quod hortamur, aut dehortamur. Rursus, quæ si paruerit, commoda consequuturus sit, eaq; exemplis roboremus. Postremò, si cõmodum suum minus attendere uoluerit, saltem nostræ beneuolentiæ, amoris, necessitudinisq; gratia faciat. Vt si militantem in bello, et ad urbẽ redire cupientem, dehortari intendis, hunc modum obserues. C. C. P. P. egregio adolescẽti, Nicolao Patritio, S. D. In omnibus meis epistolis, quas ad Ducem uestrum mitto, legitima quædam est accessio commendationis tuæ: nec ea uulgaris, sed cum aliquo insigni iudicio meæ erga te beneuolentiæ, tu modò ineptias istas & desideria urbis depone: & quo consilio profectus sis, id assiduitate assequere, & uirtute: exẽplo Medeæ reginæ, quæ licet mollis, delicata, & absens à patria dum rediret, à matronis interrogata respondit, pulchrũ est ob uirtutem consequendam à patria abesse. nam multi rem suã bene gesserunt procul à patria: multi uerò qui domi ætatem egerunt, propterea sunt improbati. quo in numero tu certè fuisses, nisi te extrusissemus,

trusissemus. sed plura scribemus aliàs. Et quoniã Medeam agere cœpi, illud semper memento: qui sapiens ipse sibi nequit sapere, nequicquam sapit. Cura ut ualeas.

De enumeratione.

Terminus siue finis epistolæ tribus constare debet: persona, loco, & tempore. ut si uni scribimus, dicamus, Vale: *aut,* Cura ut ualeas: Vale, & *me commendatum habe:* Da operam *ut ualeas:* Vale, & *me ama: Sis fœlix, nostriq́; memor:* Vale, *diuq́; uiuas:* Vale *militiæ decus, uel patriæ, uel literarum ornamentum et columen, & his similia.* Locus, *ut dicatur,* Datæ *uel* Datum Romæ. Tempus, *ut dicatur,* Kalendas, Nonis, *aut* Idibus *mensis alicuius, & anni, siue diebus & septimanis.* Prior *autem epistolarum cõsignatio, hoc est, per* Kalendas & Nonas, *doctorum uirorum est, eorumq́; approbata autoritate. pro quibus notabimus, uniuscuiusq; mensis diem primum* Kalendas *uocari, sed melius hoc ex istis patet uersibus:*

Prima dies mensis prisco dat more Kalendas,
Post numera Nonas, *post* Idus, *postq́;* Kalendas.
Mars, *Maius nonas* October *sex tenet, &* Iul.
Octo *tenet* Idus *mensis generaliter omnis.*

Et quoniam omnes hi dies, qui ante Kalendas & Idus *currunt, præcedunt eos dies principales tres: ideo semper præpostero ordine, numerũ die*

rum, mensium collocemus: ut, octaua Idus, hoc est, octaua die ante Idus. octauo Kalendas, hoc est, octauo die ante Kalendas. Sicq; euenit, ut Kalendarum dies semper in priore mense cõputandi sint: ea ratione & nos cogimur, pridie Kalendas, pridie Nonas dicere, quod is dies praecedat Nonas & Kalendas, & non sequatur.

De charactere.

Character est, qui intra epistolam aut extrà scribitur. Intra quidem epistolam, characterem obseruamus, quum eloquutionis praecepta, quae à nobis superius tradita sunt, sequimur, punctis orationis nostrae obseruatis: quorum sex sunt, Suspensiuus, Comma, Colon, Interrogatiuus, Parenthesis, & Periodus. Suspensiuus est simplex uirgula, quae solet quietis gratia poni, antequam sensus alicuius clausulae haberi possit, sic, ut, Arma. Comma duo puncta sunt, ubi clausula uidetur completa, & tamen imperfecta est, sic: ut, Arma, librosq; meos: diripuerunt milites, Colon punctus est, qui ponitur in fine clausulae, quando sensus perfectus est, sic. ut, Arma, librosq; meos: diripuerunt milites, quanquam eos huc uenturos nunquam existimarim. Interrogatiuus uirgula est obliqua, sursum tendẽs puncto supposito, sic? ut, De te quid dicam? Parenthesis sententia est interposita in medium alterius sententiae, geminis cornibus clausa, sic

sic ( ), ut, Arma, librosq; meos (sicut uidistis) milites diripuerunt. Periodus totius orationis terminus est, sic. Et hoc quidē *intra epistolam tersè politeq; seruari debet.* Extra *autem epistolam consignamus per characterem extrinsecum: hunc seruamus, dum illi ad quem scribimus, dignitatis titulum addimus.* Idq; *aut in datiuo, aut accusatiuo casibus cum præpositione adscribere debemus. hos in tres ordines digeßimus.* Namq; *tituli Romano* Pontifici *conuenientes, illi esse debebunt: Sanctißimum, beatißimum dominum nostrum,* Pontificē *Maximum, summum sacerdotem, & patrem clementißimū dicemus.* Ad *primos ab eo ordines:* Re*uerendißimum in Christo patrem & dominū sacrosanctæ* Romanæ *ecclesiæ* Episcopū, Presbyte*rum, aut* Diaconum, Cardinalem, Patriarchā, Ar*chiepiscopum, uel* Episcopum *dicemus.* Ad *secundos:* Reuerendum *in Christo patrem & dominū,* Episcopum, Abbatem *monasterij, aut* Apostolicæ *sedis protonotarium colendißimum & obseruandißimum.* Ad *tertios ordines:* Venerabilē *in Christo patrem, dominum honestum, honorandum, religiosum monachum,* Canonicum, *sacerdotem, uel heremitam.* Ad Cæsarem, *sacram maiestatem,* Ro*manorum* Imperatorem, Cæsarem Augustum, *inuictißimum, gloriosißimum, felicißimum, &* Cæ*sarem excellentißimum, serenißimumq; dicemus.*

Ad

Ad primos ordines ab eo, ſacram Regiam maieſtatem, Regem, Ducem, Principem, Marchionem, Comitem, Chriſtianißimum, potentißimum, illuſtrißimum, inclytum, fœlicißimum, & illuſtrem dicemus.

Ad ſecundos ordines, equites, barones, patricios, conſules, ſenatores, prætores: nobilem, generoſum, excellentem, illuſtrem, inclytum, præſtantißimum, clarißimum, magnanimum, potentem, ſtrenuißimum, ſpectabilem, inſignem, magnificumq́; dicemus. Ad tertios ordines, milites, præſtantes, præclaros, ſingulares, officioſos, fortes, integerrimos, egregios, prudentes, humanißimos, diſcretos, induſtrios, rei bellicæ expertos, glorioſosq́; appellabimus. Ad Theologos, diuinarum literarum interpretes, ſacrarum literarũ, ſacræ paginæ, ſacræ theologiæ, magiſtros, doctores, profeſſores, eximios & ſapientißimos dicemus. Ad primos ab eis ordines, uates, muſarum alumnos, lauro inſignes, hedera decoratos, Apollini ſacratos, Phœbi interpretes, rerum naturæ ſcientes, hiſtoriæ peritos, diuinos poetas, liræ modulatores, ſacro numine afflatos, grauißimos, iucundißimos, ornatißimos, celeberrimos, eloquentißimos, facundißimos, Romanæ linguæ principes, humani eloquij ductores, diſertißimos, copioſißimos dicemus. Ad ſecundos ordines, iuriſconſultos,

tos,legum interpretes,utriusque iuris Doctores, *Ciuilis & Pontificij,egregios reipub.moderatores,et sapientißimos,prudentißimos,excellentißimos,eximios,integerrimosq; dicemus.* Ad tertios *ordines,medicos,medicinæ doctores,artis medicæ professores, expertißimos, prudentes, philosophos,utriusque medicinæ interpretes, naturæ & caussarum speculatores,sapientiæ amatores,fideles,acutißimos,subtilißimos. Musicos,argutos & iucundos, humanæ uocis magistros, directores, modulatores uocalißimos.* Ad *geometras, immēsi mundi, siderum, & rerum indagatores, naturæ mensores.* Arithmeticos *& astrologos,acutos,diuinos,& occultarum rerum indagatores, sapientes,fati interpretes,futurarum rerum conscios et subtiles,dicemus.* Reliquos *ab illis, optimarum literarum amatores, bonarum artium studiosißimos,eruditos,doctos,& humani studij decus, dicemus.* Ad *cognatos,charißimos,dulcißimos,dilectißimos, obseruantißimos, optimos, ueneranlos,& perpetuo amore colendos, dicemus.* Ad *fœminas, castitatis decus, pudicitiæ exemplum, honestatis speculum,pudicißimam, castißimam, integerrimam,& honestißimam matronam & dominam,dicemus.*

FINIS.

METHO-

METHODVS CONSCRIBENDI EPISTOLAS

Christophoro Hegendorphino autore.

CHRISTOPHORVS HEGENdorphinus Laurentio Czoch, discipulo suo, S. D.



EN ITERVM prodit opusculum istud de conscribendis epistolis, & renatum, & auctum. Tibi uerò, mi Laurenti, nuncupatur, ut qui à me unicè amaris, mei quoque erga te amoris ἀνάμνησιν habeas. Tu uerò in literas & Græcas, & Latinas, ut soles, gnauiter incumbe. Nec te deterreat, quod hoc seculo tam literæ, quàm literati contemptui sint. Redibit, crede mihi, redibit suus honor & literis, & literatis. nam omnium rerum uicißitudo est. τοῖς δ' ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ τὰ τερπνὰ πικρὰ γίγνεται, καὶ αὖθις φίλα, ut inquit Sophocles. Vale.

Quid sit Epistola.

Epistola est sermo absentis ad absentem.

Quur inuenta:

Vt

Vt faceremus certiores absentes, si quid esset,
d *eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset.*
autor Cicero, *libro* Epistolarum *secundo.*

Genera Epistolarum.

Epistolæ autem sunt demonstratiuæ, aut suasoriæ, aut iudiciales.

Demonstratiuum genus Epistolæ.

Constat & laude, & uituperio, personarum, factorum, rerum.

Persona laudatur à { *Natalibus. Pueritia. Adolescentia. Iuuenta. Senecta. Morte.* }

Laudari & potest persona ab animi bonis, id est, uirtutibus: à corporis bonis, à ualetudine, dignitate, uiribus, uelocitate. deniq; ab extraneis, honore, pecunia, affinitate, genere, amicitia, potentia, patria.

Sic laudaturus Annibalem, scribere potes.

Annibal natus est patre Amilcare, uiro fortißimo: & cum iam esset annorũ nouem, fama est eum pueriliter blandientem patri, ut duceretur

in Hispa-

in Hispaniam, quum perfecto Africo bello, exercitum eò traiecturus sacrificaret, altaribus admótum, tactis sacris, iureiurando adactum, se, quum primum posset, hostem fore populo Romano. Missus Annibal in Hispaniam, primò statim aduentu, euntem exercitum in se conuertit. Amilcarem uiuentem redditum sibi milites credebant. Ingenium eius ad res diuersissimas, parendum & imperandum, habile erat. Saguntum, Romanis fœderatum, intra sex menses euertit. Alpibus patefactis, in Italiam traiecit. P. Scipionem apud Ticinum, Sempronium apud Trebiam, Flaminium apud Trasimenum superauit, &c. Denique cum nemo per omnia sit felix, à Scipione superatus, ad Antiochum regem Syriæ confugit: quo uicto, ad Prusiam Bithyniæ regem concessit. unde Romam repetiturus, hausto, quod sub annuli gemma habebat, ueneno absumptus est.

Exempla locorum aliorum.

Cicero lib. Epist. 4. epistola quæ incipit: Accipio excusationem, &c. Seruius tuus, uel potius noster, summa me obseruantia colit, cuius ego cùm omni probitate, summaq; uirtute, tum studijs, doctrinaq; delector, &c.

Cicero libro Epistolarum nono, epistola, Et si contentus.

Nihil

Nihil enim, mihi crede, uirtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amaui, ut tu scis, Marcum Brutum, propter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem, atq; constantiam, &c.

Plinius Iunior Mauricio suo S.

Petis ut fratris tui filiae prospiciam maritum, quod meritò mihi potissimum iniungis. Scis enim quantopere summum illum uirum suspexerim, dilexerimq;, quibus ille adolescentiam meam exhortationibus fouerit: quibus etiam laudibus, ut laudandus uiderer, effecerit. nihil est quod à te mandari mihi aut maius, aut gratius, nihil quod honestius à me suscipi possit, quàm ut eligam iuuenem, ex quo nasci nepotes Auruleno Rustico deceat. qui quidem diu quaerendus fuisset, nisi paratus, & quasi prouisus esset Munitius Aelianus, qui me, ut iuuenis iuuenem (est enim iunior pauculis annis) familiarissimè diligit, reueretur ut senem. nam ita à me informari & institui cupit, ut ego à uobis solebam. Patria est ei Brixia, ex illa nostra Italia, quae multum adhuc uerecundiae, frugalitatis, atque rusticitatis retinet ac seruat. Pater Munitius Macrinus, equestris ordinis princeps, quia nihil altius uoluit. Adlectus à diuo Vespasiano inter praetorios, honestam quietem, huic nostrae ambitioni dicam; an dignitati, constantissimè

stantißimè prætulit: habet auiam maternam, Serranam Proculam, è municipio Patauio, nosti loci mores. Serrana tamen Patauinis quoq; seueritatis exemplum est. Contigit & auunculus ei P. Acilius, grauitate, prudentia, fide propè singulari. In summa, nihil erit in tota domo, quod non tibi tanquam in tua placeat. Aciliano uerò ipsi plurimum uigoris, industriæ: quiq; in maxima uerecundia quæsturam, tribunatum, præturam honestissimè percurrit, ac iam pro se tibi neceßitatem ambiēdi remisit. Est illi facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa. Est ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam senatorius decor, quæ ego nequaquam arbitror negligenda. debet enim hoc castitati puellarum quasi præmium dari. Nescio an adijciam, esse patri eius amplas facultates, &c. Iidem loci sunt uituperij. Nam & à natalibus obscuris, pueritia tarda, adolescentia stertente, maliciosa, iuuenta ignaua, senecta inopi, morte ignominiosa, uituperantur personæ. Exempla suppeditabit frequens lectio epistolarum & Ciceronis, & Plinij.

Genus demonstratiuum epistolæ ipsius facti.

In hoc facta laudamus, & uituperamus.

Loci confirmationis sunt,

Honestum

Honestum, utile, facile, pium, iustum, &c.

Exemplum.

Multa sunt Romanorum præclara facinora, sed hoc facilè clarißimum est, quòd P. Decius pro salute exercitus Romani se dijs manib. ultrò deuouerit. nam quid honestius & sibi priuatim, & publicè omnib. facere potuisset? Priuatim, quòd non parui animi sit mortem oppetere, uitã, qua nihil charius homines habent, tam lubens ponere. Neq; uerò id temerè fecit, sed admonitus somnio, seu potius diuino adflatu, se deuouet. Publicè uerò, quòd non potest non honestum esse, quòd uir bonus pro salute patriæ molitur. Age uerò, quot commoditates hoc suo facto attulerit, uide. Duces optimos quosq; seruauit, exercitum uictorem domum remisit, Troianis æternam gloriam peperit, se deniq; à mortalitate uindicauit. Pater patriæ iure suo dici potest. Quid uerò commemorem, quàm difficile hoc factu fuerit? Nemo nõ hominum amat uitam: hæc si ponenda est, dolemus, quantumuis simus fortes. Vir tamen ille, cùm uideret sua uita reipublicæ salutem periclitaturã, maluit rempublicam quàm se incolumem.

Aliud.

Quod ducentos ducatos ad ludum literarium erigendum dedisti, uehementer laudandum censeo. Quid enim honestius, quàm de literis bene

mereri? quid magis pium, quàm bonorum iuuenum studia in urbe alere? Porrò si Demosthenes essem, commoda facti tui, quid dicam exornare, uix enumerare possem. Principio, uide tua priuata commoda, laudaberis donec ullæ ciuitatis reliquiæ superfuerint, tum (cùm nemo non morti obnoxius sit) hoc tuo beneficio te à morte asseres, ut qui semper in hominum pectoribus, in monumentis eruditorum uicturus sis. Non enim ingratæ sunt literæ, immortali præconio ornant suos instauratores. Porrò ecquam putas multos insigniter eruditos iuuenes uelut ex equo, quod aiunt, Troiano, è ludo isto udituros? Et cum Plato beatas respublicas dixerit, quas aut philosophi gubernarent, aut in quibus gubernatores philosopharentur: beatißima erit respublica tua, quæ à tot eruditis uiris gubernabitur, idq; beneficio tuo, &c.

Generis demonstratiui epistolæ.

Cuius loci sunt, honestum, utile, facile, difficile. Honestas, rerum antiquitate, miraculo rei, inuentoribus tractatur. Vtilitas spargitur in multa, cum circumstantijs docemus, quibus, quando, ubi, cur res sit utilis.

Exemplum.

Theologia

Theologia meritò omnibus literarum studijs præponitur, ut quæ antiquissima est, ut quam inueni: ὁ θεός, cuius nec principium, nec finis est: quam ut mundo palàm faceret, Christum de cœlo demisit. Hic eam per prædicationem & suam, & Apostolorũ, in totum orbem terrarum enunciauit. Commoda Theologiæ, conscientiæ tranquillitas, iustificatio nostri, uita æterna; unicum propugnaculum, aduersus peccatum, mortem, diabolum. Facilitas. Si enim temetipsum abneges, si de te desperes, adest spiritus ille Domini, & sine negotio te in penuaria sua perducit.

Huc refer descriptiones,

Regionum, quæ laudantur à	*Ducibus, Regibus,*
	Vrbium frequentia,
	Celebritate, copia annonæ,
	Tuto transitu.

Exemplum est, ut apud Plinium lib. 3. cap. 5. ubi Italiam sic laudibus tollit: Iam uerò tota ea uitalis ac perennis salubritatis cœli temperies est, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxij saltus, tam opaca nemora, tam munifica syluarum genera, tot montium adflatus, tanta frugum & uitium olearumq; fertilitas, tam nobilia pecori uellera, tam opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumq; ubertas, totam eam perfundens,

dens, tot maria, portus, gremiumq; terrarũ commercio patens undiq;, & tanquam ad iuuandos mortales ipsa auida in maria procurrens, &c.

Vrbium, quæ laudantur à { Repub. Senatu, populi frequẽtia, bellicositate, ciuium urbanitate, concordia, domorum magnificentia, rerum uariarum copia, non ita magno parabili, ab aere, à uicinia, uilla.

Verg. 1. Aeneidos:

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni, Carthago, Italiam cõtrà, Tyberinaq; longe Hostia, diues opum, studijsq; asperrima belli. Plinius lib. 3. cap. 5. Romam sic laudat: Vrbs Roma uel sola, quo tandem narrari debet opere, &c.

Aedificiorum, quæ laudantur ab { Atrio, Magnitudine, Figura, Cubiculis, Conclauibus, Situ, Prospectu, Vestibulo, Penetralibus, Triclinijs.

Exemplum habes apud Plinium libro Epistolarum secundo, epistola ad Gallum.

Homerus

Homerus libro Iliad. ſ. domum Priami ſic deſcribit:

ἀλλ' ὅτι δὴ πριάμοιο δόμον περικάλλὲ ἵκανε
ξεστῆς αἰθούσῃσι τετυγμένον. αὐ τὰρ ἐν αὐτῷ
πεντήκοντ' ἔνεσαν θάλαμοι ξεστοῖο λίθοιο
πλησίον ἀλλήλων δεδμημένοι. ἔνθαδε παῖδες
κοιμῶντο πριάμοιο παρὰ μνηστῆς ἀλόχοισι.
κυράων δ' ἑτέρωθεν ἐναντίοι ἔνδοθεν αὐλῆς
δώδεκ' ἔσαν τέγεοι. θάλαμοι ξεστοῖο λίθοιο.

Hoc eſt,

Sed quum iam ad Priami domum ualde pulchram ueniſſet, politis parietibus fabricatam, & in ipſa quinquaginta inerant thalami de polito lapide, prope inter ſe constructi, ubi filij dormiebant Priami propter deſponſatas uxores: filiarum uerò ex altera parte è regione inter aulam duodecim erant ſublimes lecti de polito lapide, &c.

Fluminũ, quæ laudantur ab
- Amplitudine, curſu, colore, ortu, nimirũ unde naſcãtur: locis, quæ præterfluũt, quæ influunt.
- Agris, nemoribus, quæ irrigant, piſcium genere.

Exemplum inuenies apud Plinium libro quinto, capite nono, ubi Nilum deſcribit. Virgilius libro 2. Aeneidos: Leni fluit agmine Tybris. Ecce à curſu Tybrim laudat.

Plinius libro quinto Cap. 28. Amnis Indus in Cybiratarũ iugis ortus, recipit sexaginta perennes fluuios, torrentes uerò amplius centum, &c.

Agrorum, qui laudantur ab his:
- Quid ferant, quantum.
- Quo ritu colantur, cuiusmodi cultores habeant.
- Quod arborum genus, quod uinum proferant.

Huc refer laudes amœnitatum ruris.

Horatius lib. Epistolarũ. 1. epistola ad Faustum:
Nouisti'ne locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hyemes? &c.

Montium, qui laudantur à
- Radicibus,
- Si quid habeant nouum,
- Quid prodigiosum,
- Quid memorabile.

Plinius lib. 3. cap. 8. Aetna mons nocturnis mirus incendijs.

Virgilius lib. tertio Aeneidos,
Ipse sed horrificis iuxtà sonat Aetna ruinis,
Interdumq; atram prorumpit ad æthera nubẽ,
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla,
Attollitq; globos flammarum, & sidera lambit,
Interdum scopulos, euulsaq; uiscera montis
Erigit eructans. &c.

Generis deliberatiui epistolæ.

In hoc

In hoc suademus aliquid, aut dissuademus.

Cuius loci sunt:

Honestum, utile, poßibile, necesse, facile, iucundum, pium, iustum, æquum, gloriosum. Porrò honesti ratio in uirtutibus sita est. Proinde si honesti fontes scire uis, necesse est ut uirtutũ singularum rationes teneas, quas ex 1. Officiorum libro perdisces. Cæterùm de utilitate suprà diximus. Necesse est, ut inquit Cicero, sine quo salui esse non possumus.

Aliqui hos locos recensent,

Laudem, gloriam, fidem, iustitiam, quæstum, emolumentum, fructus.

Hi uerò loci cum superiorib. re ipsa cõueniunt.

EXEMPLVM.

Suadet amicus amico, ut iuri ciuili nauet operam.

Audio te uir optime, tecum inire rationem, cui nam studiorũ generi te tradas. Tu uerò si amici consilium admittis, suadeo, ut animũ tuum ad iuris ciuilis scientiam adiungas. Quid enim honestius hoc studio aut dici, aut fingi potest? Hoc poteris succurrere oppresso, iudicare pupillo, defendere uiduam. Quid porrò necessarium magis? Tolle è medio ius ciuile, & omnes urbes subuerteris, omnes rerumpub. formas confuderis.

Non opinor ignoras, quid dicat Cicero in oratione pro Cluentio: Quòd hoc uinculũ sit ciuitatis, hoc fundamentum libertatis. Vt enim corpora nostra sine mente, ita ciuitas sine legib. suis partib. et neruis, & sanguine, & membris uti non potest. Audi uerò quid dicat idem Orator pro Cecinna: Nihil in ciuitate, inquit, tam diligenter retinendum, quàm ius ciuile: quo sublato, nihil cuiquam exploratum esse potest, quid suum, quid alienum sit. In hoc enim incumbit ius ciuile, ut optima ciuitas constituatur, Alcinoo autore. En habes iuris ciuilis necessitatem. Iam uerò quantum adfert ijs qui eis præsunt, honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat? & ut alios omittam, quantum splendoris ars hæc Mutio Scæuolæ attulit, ut cuius domus uerum oraculũ ciuitatis Romanæ dicta est? Sabinus quidam, uir angustæ rei familiaris, propter iuris ciuilis studium à Tyberio Cæsare in equestrem ordinem iam grandis natu, & fermè quinquaginta annorum, exceptus est. Caius Cassius Longinus sub eodem Tyberio in maximo honore habitus est, sub Claudio præfectus Syriæ creatus. Quòd si quæstum quoq; ambis, nulla est ars quæstuosior: id quod uersiculus ille, licet in syllaba una uulgo uitiosus, satis arguit: Dat Galenus opes, & sanctio Iustiniani. Quid quòd uides nullum quantumuis mediocriter iuris peritum, rei

familiaris

familiaris inopia laborare? Nec uerò eſt, quòd te difficultas deterreat: ſtudium iſtud admodum facile eſt, ſi quis illud diſciplinis alijs inſtructus adeat. Tu uerò quum ſis linguarum callentiſsimus, facundia facundior, memoria uiuaciſsima prædiтus, quid obſecro difficultatis perſenſurus es? Accedit huc, quòd totum iſtud ius in certos, nec illos innumeros libros relatum eſt. quod ſi perdidiceris (perdiſces uerò, ſi ingenium intenderis) tantum non alter Scæuola futurus es. Hic quoq; certum aliquem ſcriptorem elige: nec fac ut pleriq; faciunt, qui iam illius, iam iſtius autoris interpretamenta ſequentes, & ipſi incerti ſunt quos ſequantur, & auditores multo incertiores abeunt. Deniq; eſt mira quædam in cognoſcendo iure ciuili ſuauitas et delectatio. Nam (ut Ciceronis uerbis utar) ſi quem aliena ſtudia delectant, plurima & in omni iure ciuili, & in Pontificum libris, & in 12 tabulis antiquitatis effigies, quòd & Romanorum priſca uetuſtas cognoſcitur, & actionum genera quædam maiorum conſuetudinē uitamq; declarant. Age igitur, quum iuris ciuilis ſtudio nullum ſit honeſtius, nullum magis neceſſarium, nullum utilius, facilius, denique iucundius, Corœbo (quod aiunt) ſtultior eris, ſi non ad hoc ſtudium animum tuum appuleris. Vale.

Contrarij loci sunt, in dissuadendo scilicet,

Inhonestum, inutile, difficile, non necessarium, impium, periculosum, impoßibile.

EXEMPLVM.

Dissuadet amicus amico, ne mercaturæ studeat:

Licet amicorum mellitißime, ipsemet consilio uales, tamen cum te plurimũ amem, non possum non, quid ego de tuo instituto sentiam, apud te exp promere. Rumor est, te mercaturæ uacare uelle: quod ne facias, suadeo. Principiò non potest per opes tuas fieri, ut copiosam mercaturã instruas. Mercatura autem, ut inquit Cicero, si tenuis est, sordida putanda est. Sordidi enim putantur, qui mercantur à mercatoribus quod statim uendant. Quid quæso proficiunt, nisi admodum mentiantur? nec uerò quicquam turpius est uanitate. hæc ille. Porrò pone ob oculos pericula, quæ tibi ingruent, ubi iam huc, iam illuc, uel pedes, uel eques proficisceris: si quid pecuniarum in zona tecum gestaueris, mille insidiæ tibi tendentur: si merces aliquas coemeris, iam uel in mari intercident, uel in uia pedestri à latronibus intercipiẽtur. Taceo imbres, tonitrua, grandines, quæ tibi iam huc, iam illuc proficiscenti imminebunt. Omitto laborem emendi,

emendi, uehendi domum. has, inquam, malorum Iliadas reputa, & mirum ni cane peius & angue mercaturam oderis. At quæstus forsitan tibi arridet. Verũ heus tu, quàm quæso sordidus est? quàm impius? Siquidem tu res minoris emis, ut pluris fratri tuo uendas. En quàm pius quæstus. Quid uerò si aliquando cum merce una aut altera, tantum iacturæ acceperis, quantum in multis nõ resarcire potes? Quid uerò ubi non semper pecunia præsente emere poteris, & maioris emas, quàm reuendere unquam queas? Quid si aliquando unam rem plures alij emerint, & tua tibi domi maneat, ubi tũc manebit quæstus? Deniq; quæ necessitas, si dijs placet, Diomedæa te ad mercaturam adigit? an non literas tenes? quæ unæ te quòcunq; terrarum ueneris, alere poterunt? quæuis enim terra alit artem. Ecquur non potius te ad certum aliquod studiorum genus transfers? uel medicinam, uel si mauis etiam iuris prudentiam? hac sanè uia citius ad honores, quorum scio te esse famelicum, ad opes quas ambis, proueheris. Proinde, si me amicum uis, aliò instituti tui uela uerte.

Exemplum dissuasoriæ orationis habes apud Cicer. 7. Philip.

Ad hos

Ad hoc genus epistolæ, refer epistolam
Conciliatricem,
Exhortatoriam,
Dehortatoriam,
Petitoriam,
Commendatoriam,
Consolatoriam.

Conciliatrix epistola est, qua conciliamus uel nosmetipsos alijs, uel alios alijs.

Loci sunt ijdem qui suasoriæ epistolæ. dicimus honestum esse, ut iram, simultatem, odium deponant: siquidem fortium uirorum esse, seipsos uincere. Dicimus impium esse, Christianum cũ Christiano dißidere, quum utrunque Christus suo sanguine coniunxerit. ipse enim est pax nostra. Ostendimus multa incommoda, quæ ex illis odijs mutuis, simultatibus, gliscant. facilè uerò eos posse reconciliari docemus, si modò utrinque, quicquid ultrò citroq; molestiarum sit, animo expuerint: nos & alios bonos uiros, quod æquum sit utriq;, pronunciaturos.

Exhortatoriæ quoque & dehortatoriæ loci sunt, qui suasoriæ & dissuasoriæ.

[redacted] hos locos enumerat,

Laudem
Rei. ut si res pia, honesta, iucunda, gloriosa, &c. sit.
Personæ.

Spem

Spem bonorum,
Metum malorum,
Amorem eorum, quorum gratia res aliqua subitur.
Odium inimicorum,
Commiserationem,
Aemulationem,
Expectationem inimicorum.

Exemplum apud Erasmum offendes.

Cicero lib. Epist. 2. epistola quæ incipit, Epistolarũ, &c. Est enim tibi grauis aduersaria constituta, & parata incredibilis quædam expectatio, quam tu una re facillimè uinces, si hoc statueris: quarum laudum gloriam adamaris, &c.

C. Plinius Octauio suo S. D.

Nominem te patientem, uel potius durum ac penè crudelem? qui tam insignes libros tam diu teneas? quousque & tibi, & nobis inuidebis? tibi maximam laudem, nobis uoluptatem. Sine per ora hominum ferantur, iisdemq; quibus lingua Romana spacijs peruagentur. magna etiam longaq; expectatio est, quam frustrari adhuc, & differre non debes. Enotuere quidam tui uersus; & inuito te claustra refregerunt. hos nisi retrahis in corpus, quandoque ut errones, aliquem, cuius dicantur, inuenient. Habe ante oculos immortalitatem, à qua asserere te hoc uno monumento potes. Nam cætera fragilia & caduca, non minus quàm ipsi homines, occidunt, desinuntq;.

Dices,

Dices, ut soles, amici mei uiderint. opto equidem amicos tibi tam fideles, tam eruditos, tam laboriosos, ut tantum curæ intentionisq; suscipere & poßint, & uelint: sed dispice, ne sit parum prouidum sperare ex alijs, quod tibi ipse non præstes. & de editione quidem interim, ut uoles. recita saltem, quo magis libeat emittere, utq; tandem percipias gaudium, quod ego olim pro te non temere præsumo. Imaginor enim qui concursus, quæ admiratio te, qui clamor, quod etiam silentiū maneat: quo ego, quum dico, uel recito, non minus quàm clamore delector. sit modò silentium acre, & intentum, et cupidum ulteriora audiendi. hoc fructu tanto, tam parato, desine studia tua infinita ista cunctatione fraudare: quæ quum modum excedit, uerendum est ne inertiæ & desidiæ, uel etiam timiditatis nomen accipiat.

Exemplum epistolæ dehortatoriæ.

Bella uerò res est, quòd tu, ut audio, dies noctesq; ebrietati deditus es. an non uides quàm turpis res sit, quàm homine indigna? Etenim homo una ratione cæteris animantibus anteit. Hæc uerò uini iuxta cereuisiæq; ingurgitatione adeò obruitur, ut ex homine porcus quidam Acarnanius reddatur. An non uerò te ab ebrietate deterrent

tot

tot malorum agmina, quæ Plin. lib. 14. recenset? Hinc, inquit, pallor & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, effundentes plena uasa, et furiales somni, & inquies nocturna. hæc ille. Et *quid obsecro inimici tui, qui tuam uitam adeò obseruant, dicturi sunt?* Imò *quid & amicißimi tui dicent?* En *hic nos ab ebrietate auocare deberet, et nemo est qui eam impensius amet, colat. Quid huic credemus, qui semper ebrius est?* Ebrij *uerò nõ rarò cum* Parmenone Terentiano *nihil tacere possunt, quantumuis arcanum, quantumuis bona fide illis creditum.* Tu *si sapis, uide sobrius magis posthac, quam ebrius conspiciaris. Vale.*

Petitoria.

Petimus *honesta, utilia, facilia & factu, & præstitu poßibilia, necessaria.*

Exemplum.

Petit amicus sibi decem aureos mutuo dari.

Quod ego tibi ultrò deferrem, si facultatum mearum esset, id non dubito, quin & tu mihi lubens delaturus sis, mi Petre. Opus *est mihi decem aureis, quos oro ut mihi des mutuò: non dici potest, quàm illis egeam.* Etenim *domi ne obolus quidem amplius mihi est, &, ut scis, mihi multi sunt liberi, multæ operæ, quibus uictus suppeditandus*

 est:

est:non quærunt unde habeas, sed oportet habere. Neq; uerò tibi homini tantum non cum Crœso conferendo, difficile factu erit, decē aureos hominis & egentis, & amici usibus exponere. Tu sanè non decem, sed ducentos citra tuarum rerum dispendium, mihi utendos dare posses: sed parū abs te peto, ut minore negotio impetrem. Quot uerò mihi commoditates parua ista pecunia allaturus sis, uide: meam existimationem, ne omnino eleuetur, conseruabis: liberi, operæ, uxor, ne fame pereant, caueris: me in tuo, quod aiunt, ære esse facies. Vbi uicißim, si non pecunia, at industria, consilio, literis, si quas modò calleo, tibi tuisq; consulere potero, dispeream, si non me tuum esse dixeris. Vale.

Seruius, id quod et [redacted] *obseruauit, enarrans orationem illam Iunonis in 1. Aeneid. Aeole, &c. dicit, id quod petimus, poßibile, & iustum esse debere, tum modum præstandi præscribendum, postremò remunerationem addendam.*

EXEMPLVM.

Optime uir, est quod à te petam. Sycophanta quem nosti, mihi multis modis molestus est. quare te peto, quo illum compescas, ut molestiarum finē faciat. Ecquid uerò iustius, quàm amicum amico aduersus Sycophantæ oblatrationes patrocinari? Vt uerò patrocineris, nihil facilius. noui enim au

toritatem

toritatem tuam:admone saltem hominem istum, quem nosti,ut linguæ imperet,ut maledicendi finem faciat. admonebis uerò ipsum, cum te, ut solet,salutandi gratia accesserit:ego uicißim sedulò quæ uoles,faciam.

In epistola petitoria sæpe demonstratiuæ locis utimur.

C.Plinius Maximo Suo S. D.

Qvod ipse amicis tuis obtulissem,si mihi eadem materia suppeteret,id nunc iure uideor à te meis petiturus. Arrianus Maturius Altinatiū est princeps. cum dico princeps,non de facultatibus loquor,quæ illi largæ supersunt, sed de castitate,iustitia,grauitate, prudentia. Huius ego cōsilio in negotijs,iudicio in studijs utor. nam plurimum fide,plurimum ueritate,plurimū intelligentia præstat: amat me, (nihil possum dicere ardentius) ut tu:caret ambitu,ideo se in equestri gradu tenuit,cū facilè posset ascendere altißimū. mihi tamen ornandus,extollendusq; est. Itaq; magni existimo,dignitati eius aliquid astruere inopinantis,nescientis,imò etiā fortaßè nolentis.astruere autem quod sit splendidū,nec molestum, cuius generis,quæ prima occasio tibi, in eum conferas rogo. Habebis me, habebis ipsum gratißimum

debitorem. quamuis enim ista non appetat, tam gratè tamen accipit, quàm si concupiscat.

Commendatoria.

Qua uel aliquam personam, uel alicuius ingenium commendamus.

Exempla plurima offendes in libro Epistolarum Ciceronis decimo.

Consolatoria epistola est, qua aliquem consolamur.

EXEMPLVM.

Seruius Sulpitius M. Tullio Cic. S.

POsteaquam mihi renunciatum est de obitu Tulliæ filiæ tuæ, sanè quàm pro eo ac debui, grauiter molesteq; tuli, communemq; eam calamitatẽ existimaui: qui, si istic affuissem, neq; tibi defuissem, coramq; meum dolorem tibi declarassem. Et si genus hoc consolationis minimũ atq; acerbum est, propterea quia per quos ea fieri debent propinquos, ac familiareis, ipsi pari molestia afficiuntur: neq; sine lachrymis multis id conari queunt, ut magis ipsi uideantur aliorum consolatione indigere, quàm alijs posse suum officiũ præstare: tamen quæ in præsentia in mentem uenerunt, decreui breui ad te perscribere: non quòd ea te fugere existimẽ, sed quòd forsitan dolore impeditus

peditus minus ea perſpicias. Quid eſt, quòd tantopere te commoueat tuus dolor inteſtinus? cogita quemadmodum adhuc fortuna nobiſcum egerit: ea nobis erepta eſſe, quæ hominibus non minus quàm liberi chara eſſe debent, patriam, honeſtatem, dignitatẽ, honores omneis: hoc uno incommodo addito, quid ad dolorẽ adiungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet, atq; omnia minoris æſtimare? an illius uicem (credo) doles, quoties in eam cogitationem neceſſe eſt & tu ueneris, & nos ſæpe incidimus, hiſce temporibus non peßimè cum ijs eſſe actum, quibus ſine dolore licitum eſt mortem cum uita commutare? Quid autem fuit, quod illã hoc tempore ad uiuendum magnopere inuitare poſſet? quæ res, quæ ſpes, quod animi ſolatiũ? ut cum aliquo adoleſcente primario coniuncta, ætatem ageret? Licitũ eſt tibi, credo, pro tua dignitate ex hac iuuentute generũ deligere, cuius fidei liberos tuos te tutò cõmittere putares: an ut ea liberos ex ſeſe páreret, quos cũ florenteis uideret, lætaretur, qui rem à parente traditã per ſe tenere poſſent, honores ordinatim in repub. petituri eſſent? in amicorum negotijs libertate ſua uterentur? Quid horũ fuit, quod non prius, quàm datum, ademptum ſit? At uerò malum eſt liberos amittere: malum, niſi hoc peius ſit, hæc ſufferre et perpeti. Quæ res mi

bi non mediocrem consolationem attulit, uolo tibi cõmemorare, si fortè eadẽ res tibi dolorem minuere posset. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram uersus nauigarem, cœpi regiones circũ circa prospicere. post me erat Aegina, antè Megara, dextra Pyræus, sinistra Corinthus, quæ oppida quodam tempore florentißima fuerunt, nunc prostrata, & diruta ante oculos iacent. Cœpi ego met mecum sic cogitare, Hem nos homunculi indignamur, si quis nostrum interijt, aut occisus est, quorum uita breuior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadauera proiecta iacent. Vis'ne tute Serui cohibere, & meminisse hominem esse natũ? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idẽ si tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas, modò uno tempore tot uiri clarißimi interierunt, de imperio præterea tanta diminutio facta est, omnes prouinciæ conquassatæ sunt: in unius mulierculæ animula si iactura facta est, tantopere commoueris? quæ si hoc tempore non suum diem obijsset, paucis post annis tamẽ ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Etiã tu ab hisce rebus animum ad cogitationẽ tuã auoca, atq; ea potius reminiscere, quæ digna tua persona sunt: illam, quãdiu ei opus fuerat uixisse, unà cum repub. fuisse, te patrem suum, prætorem, consulem, augurem uidisse: adolescentibus primarijs nuptam

nuptam fuisse, omnibus bonis prope perfunctam esse, cũ respub. occideret uita excessisse. Quid est quod tu, aut illa, cum fortuna hoc nomine queri possis? Deniq; noli te obliuisci Ciceronem esse, & eum qui alijs consueueris præcipere, & dare consilium: neq; imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiã, ipsi se curare non possunt: sed potius, quæ alijs tute præcipere soles, ea tute tibi subijce, atque apud animum propone. Nullus dolor est, quẽ non longinquitas temporis minuat, atq; molliat. hoc te expectare tempus tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tuapte occurrere. Quod si quis etiam inferis sensus est, qui illius in te amor fuit, pietasq; in omneis suos, hoc certè illa te facere non uult. Da hoc illi mortuæ, da cæteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da patriæ, ut si qua in re opus sit, opera et consilio tuo uti poßit. Deniq;, quoniã in eam fortunam deuenimus, ut etiam huic rei nobis seruiendum sit, noli committere, ut quisquã te putet non tam filiam, quàm reipub. tempora & aliorum uictoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne uidear prudentiæ tuæ diffidere. Quare si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrimè te ferre fortunã, magnamq; ex ea re te laudẽ adipisci: fac aliquando intelligamus, aduer-

sam quoque te æquè ferre posse : neque id maius, quàm debeat, tibi onus uideri, ne ex omnibus uirtutibus hæc una tibi uideatur deesse. Quod ad me attinet, cum te tranquilliore animo esse cognoro, de ijs rebus quæ hic geruntur, quemadmodumq; se prouincia habeat, certiorem faciam.

De genere epistolæ Iudicialis.

Hæc constat intentione, id est, accusatione, cū scilicet alicui crimen obijcitur: & defensione, cum quis crimen obiectum defendit et deprecatur. Hic multum refert, callere rationes amplificandi crimen, quod alicui obijcitur: refert, confutandi rationem habere cognitam.

Amplificatur res à circumstantijs,	*Verbis, sententijs, figuris,*	
	Loco,	
	Tempore,	Vide Fabium lib. 8.
	Persona,	Cic. in Partitionib.
	Modó,	
	Frequentia.	

Ratio confutandi.

Aut totum est negandum, quod obiectum est, & fictum & falsum esse docendum: aut redarguenda ea, quæ pro uerisimilibus dicta sunt. Primò dubia esse posita pro certis, item impoßibilia esse, repugnantia esse, absurda dictu esse, inuidia magis quàm iudicio effusa, &c.

EXEM-

EXEMPLA.

Accuſatur amicus ſtupri.

An'ne uerò Iupiter tibi mentem abſtulit omnem? Ecquæ te intemperies agit, quòd Chremetis noſtri filiæ uitium offers? An uerò illud leue crimen eſt? an uerò tolerandum, quòd in domo optime de te meriti, ipſo die natalis Chriſti, puellam iſtam famæ antehac ſemper integræ, ſtupras: nec ſatis eſt, quod tu in puella tui diſsimilis es, niſi etiã ſororibus alijs uidentibus, & ſupra modum queritantibus, tuam expleas libidinem. Quid de te futurum ſit, neſcio, niſi quòd audio exemplum in te futurum maximum. Bene Vale.

EXEMPLVM CONFVTANDI.

Confutat quidam ſuſpicionem uulnerati à ſe uicini.

Ioannes fuit hodie apud me, indicans uicinum Phaniam graue uulnus accepiſſe: de nullo uerò ſuſpicionem coortã, niſi de me. Ego *uerò auſim deierare per deos omnes, me eſſe extra noxam. nam quòd iſti dicunt me heri gladio accinctũ, ædes uicini præterijſſe: nõ arguit, me propterea eũ uulneraſſe, cũ multi alij præterierint, nõ minus armati quàm ego, cur nõ in eos quoq; recidit ſuſpicio? Accedit huc, quòd ego heri circiter horã undecimã à meridie domum Phaniæ præterij, & poſthac ne*

semel quidem in publicū progressus sum. quí nam igitur fieri potest, ut ego illum uulnerarim? cum constet eum uesperi hora nona uulneratum? Age uerò quí nam congruit, uulneratum illum à me, quem semper parentis in loco habuerim? testabitur ipse, si mihi nō adhibetur fides. Non me fugit, quí nam isti sint, qui me hoc nomine traducant. sunt certè mei inimicissimi, qui nihil prius malūt, quàm me extinctum. Ex his igitur colliges, quàm falsissimè traducar, &c.

Ad hoc epistolæ genus refer
- *Querelam,*
- *Expostulationē,*
- *Expurgationē,*
- *Exprobrationē,*
- *Inuectiuam:*

quæ ut nominibus uariant, ita tractandi ratione ab argumentis epistolæ iudicialis non multum discrepant.

Exempla in autoribus obserua.

De exordijs epistolarum.

Exordia ducūtur à rebus ipsis de quib. scribimus.

EXEMPLVM.

Miram sanè rem, & tibi, ut opinor, auditu iucundissimam, non potui nō ad te perscribere: cum sciam te rerum nouarū percupidum esse. en rem, ut nouā, ita miram. Mira auditu nuper ad te perscripsi, sed audi θαυμαστότερα.

Exordia ducuntur à persona nostra.

EXEM-

EXEMPLA.

Meum erga te animum multis ſæpe nominibus tibi cognitum eſſe, non dubito: ſcis, opinor, quàm patrem tuum multis rebus ſæpe ornarim, non te latet quàm toti familiæ tuæ ſemper prodeſſe ſtuduerim, &c.

Aliud.

Si unquam aliud de te benemeritus ſum, me antè benemeritum eſſe, negare non potes, fac te quoq;, &c.

Aliud.

Horreo, ut me Chriſtus amet, dicere, quàm infeliciter ceſſerit mihi mea profectio. O` quam nõ ibi calamitatem uidi? O` quam non inopiam expertus ſum?

Aliud.

Quamuis alij multi hic ſunt, quos mihi adfuturos ſpero, tu tamen in primis ades, omniũ mearum neceßitatum prora & puppis, quod aiunt.

Exordia ducuntur ab ijs ad quos ſcribimus, item ab illis de quibus ſcribimus. Et his exordij generib. in epiſtola cõmendatoria autores uti ſolẽt.

C. Plinius libro Epiſtolarum 2.
C. Pli. Priſco ſuo.

ET tu occaſiones obligandi me auidißimè amplecteris, & ego nemini libentius debeo.

Duabus

Duabus ergo de causis à te potißimũ petere constitui, quod impetratũ maximè cupio. Regis exercitum amplißimum, hinc tibi beneficiorum larga materia: longũ præterea tempus, quo amicos tuos exornare potuisti. conuertere ad nostros: nec hos multos. malles tu quidem multos, sed meæ uerecundiæ sufficit unus, aut alter, ac potius unus. is erit Voconius Ro. pater ei in equestri gradu clarus, clarior uitricus, imò pater alius. nam huic quoq; nomini pietate succeßit. Mater è primis citerioris Hispaniæ. Scis quod iudicium prouinciæ illius, quanta sit grauitas. flamẽ proximè fuit. hũc ego cum simul studeremus, arctè familiariterq; dilexi. ille meus in urbe, ille in secessu, contubernalis: cum hoc seria, cũ hoc iocos miscui. quid enim illo aut fidelius amico? aut sodale iucundius? mira in sermone, mira etiam in ore ipso uultuq; suauitas. ad hæc ingeniũ excelsum, subtile, dulce, facile, eruditum in causis agendis. Epistolas quidem scribit, ut Musas ipsas latinè loqui credas. amatur à me plurimum, nec tamen uincitur. Equidem iuuenis iuueni quantum potui per ætatem auidißimè contuli, & nuper ab optimo Principe trium liberorum ius impetraui. quod quanquam parcè & cũ delectu daret mihi, tamen tanquã liceret indulsit. hæc beneficia mea tueri nullo modo melius, quàm ut augeam, possum: præsertim cum ipse illa tam

grate

gratè interpretetur,ut dũ priora accepit, posteriora mereatur. Habes *qualis, quàm probatus, charusq́; sit nobis:quẽ rogo pro ingenio,pro fortuna tua exornes:in primis ama hominem.nam licet tribuas ei quantum amplißimum potes, nihil tamen amplius potes amicitia tua,cuius esse eum usq; ad intimam familiaritatem capacem,quò magis scires,breuiter tibi studia,mores,omnẽ deniq; uitam eius expreßi.*Extenderem *preces, nisi et tu rogari diu nolles, & ego tota hac epistola fecissem.rogat enim, & quidem efficacißimè,qui reddit caussas rogandi.* Vale.

Exempla *plurima sunt lib.* 13. Epi*stolarum* Ciceronis.

Exordia *ducuntur ab officio.sic* Cicero *lib.* primo Epi*stolarum:*Ego *omni officio, &c.*

Ab *aduersariorũ persona,si eos in odium,inuidiam,contemptionem adducimus.* Hoc *exordij genere in* Epi*stola iudiciali uti licebit.*

A *tempore:ut,*Ecquod *unquàm de te bene merendi tempus oblatum est commodius?*Semper *occasionem te mihi arctiore amicitiæ fœdere astringendi quæsiui,en iam reperi.*

A *moribus:ut,*Mos *est,ut in his diebus natalicijs amicus cũ amico xenijs certet, &c.* Mos *est apud* Lip*senses,ut in diebus* Bacch*analibus alius alium ad prandium,cœnam inuitet, &c.*

Exordia

Exordia ſumuntur à ſententijs. ut, Rectè dixit Comicus: Quot capita, tot ſenſus.

A` uotis: O` quàm uellem mihi dari uberrimã de te benemerendi anſam. Si quid uotis proficeretur, optarẽ ut iam Crœſus alter eſſes, ut qui tantos ſumptus quotidie ferre cogeris.

A` comparatione: Si unquam aliàs, hoc certe tempore Deus Op. Max. comprecandus eſt, ut tandẽ orbis funeſtis illis diſsidijs defungatur, alioqui uereor ne prorſus collabatur.

Salutandi formulæ.

Paulus ſic ſalutat: Gratia uobis & pax à Deo patre, & Domino Ieſu Chriſto.

Cicero ſic ſalutat: M. Tul. Cicero, Publio Lentulo S. D. Plin. Iunior addit, Suo. Alias formulas ex Eraſmo pete.

De ſuperſcriptione Epithetorum.

Principum epitheta ferè ſunt huiuſmodi:

Cæſar Auguſte. Rex inuictiſsime.
Fortiſsime Imperator.
Dux illuſtriſsime.
Clementiſsime princeps.
Vir generoſiſsime, præpotens, ornatiſsime, clariſs. ſplendidiſsime.

Opt.

Opt. Max. quod à Ioue sumptum quidam in Christum transferunt, in quem uerius competit quàm in Iouem?

Magistratuum epitheta sunt hæc:

Consul uigilantißime.
Senator splendidißime.
Censor grauißime.
Aedilis magnificentißime.
Iudex incorruptißime.
Prætor integerrime.

Ex his qui literas profitētur, appellare poteris,

Theologos, graues, synceros, absolutos, sacros ac diuinos.
Rhetores, disertißimos, suauiloquentes, facundißimos.
Poetas, sacros, diuinos, claros, nobiles, inclytos.
Iurisperitos, iuris utriusq; cōsultißimos, prudentißimos legum, iuris utriusq; iuxtà doctos.
Dialecticos, acutos, argutos, inuictos.
Medicos, peritißimos, fidos, eximios.
Mixte doctos, undequaq; doctißimos.

Cognatorū & affiniū epitheta ferè sunt hæc, Pater optime, mater indulgentißima, frater charißime, patrue obseruande, uxor suauiß. nepos mellitißime. Iucun-

Iucundißime { Gener, Affinis, Sodalis, Commilito.

Ex reliquorum genere, qui nulla certa nota sunt insignes, diuites, & autoritate præstantes uiros appellabimus, optimates uiros, summates, primarios, nobiles, graues, grauißimos, ornatos uirtute, aut eruditione præcellentes, obseruandos, honorandos, colendos, absolutos, eximios, egregios, prudentes, suspiciendos, spectatos, perspicaces, circumspectos.

Matronas nobiles, { Primarias, optimas, integerrimas probas, pudicas.

Puellas lepidas { Bellas, amabiles, optime moratas, pudicas, mellitas, iucundas. } appellabimus,

Item adolescentes ingeniosos, { Probos, modestos, optimæ spei, eximiæ indolis, generosæ indolis, } uocare licet,

Milites fortißimos, exercitatißimos.

Opifices { Industrios, solertes, peritos, exquisitos, accuratos.

F I N I S.

QVI MAGISTRI, QVIQVE *scriptores deligendi.* Ex lib. 1. *cap.* 5. Iacobi Lod. *Strebæi* De *uerborum electione & collocatione.*

NVNC *quem potißimum doctorem & dicendi magistrum sequatur homo studiosus elocutionis, ut quò maxime uelit, eò breui compendio uiarum perueniat, si placet, explicemus.* Non *erit alienum ab instituto, quærere ducem, sine quo ad propositum finem rectà uenire non poßit.* Non *agam de uirtute præceptoris, quæ in primis est à discentibus expetenda, propterea quod pueri ut eius artes, sic & mores, & malos quàm bonos sæpius, imitantur.* Nihil *dicam de cognitione & scientia rerum maximarum, quam si non habet, docet alios indoctus, &, quod dementis est, uerba sine re profundit.* Quàm *seueram debeat habere disciplinam, quàm sanctã, quàm uirilem, quàm aßiduam, non est hic disputandi locus.* Hoc *ad rem pertinet, quo sit ingenio, quaq; natura præditus.* Nam *quemadmodum poetæ, sic (mea sententia) quodammodo nascuntur oratores.* Nec *enim poetæ, si naturæ parentis igniculi desint, alta & ardua excogitare, delectũ uerborũ habere, numeros aptare queant: nec oratores aduersante* Genio *mira quædam inuenire, propriè, copiosè, uenustè, floridè differere poßint.* Est *in oratione,*

Ee *sicut*

ſicut In uerſu, numerus, et obſcura modulatio, quã teretes & rotundæ ſentiunt aures. Quædam uerba ſic amica ſunt, & penè germana, ut inter ſe cõcordia ſumma copulentur. Quædam (ut ita dicã) inimica atque diſſona: quæ ſi coniunxeris, perpetuò rixabuntur, & aſperè ferient illam ſentiendi facultatẽ. Quis hac de re iudicabit? Auris. An omnis? Haudquaquam uerò. Quæ ſic, & quæ non? Senſus ille, ſicut omnia, adiuuatur arte & exercitatione. Fateor, alioquin iſta non traderẽ: ſed niſi uis illa naturalis, acuta, ſagax, acris, habilisq; ſit, niſi ſonorum differentias et modorum ſponte ſua dijudicet, niſi in ambitu, & partibus illius, temperata, curta, redundãtia, in uerbis aut ſingulis aut compoſitis lenia, aſpera, mollia, dura ſentiat: ars & uſus, res duæ maximæ, nõ efficient ut inſtructa uenuſtaq; ſit oratio. Noui plurimos ſtudio et amore literarum eximio, qui cognitis atq; perſpectis rhetoricæ præceptis, ſumma cum diligentia multa ſcripſerũt, nec ſecus ac poetæ ſolent, in collocanda dictione, et quærenda uenuſtate diu multumq; laborarunt: ſedenim conatus infœlices fuerunt, et male propitiæ Muſæ. Non ſuberat uera uis et indoles, non fluebat illa uena atq; natiua fœcunditas, nec ſenſum natura duriorem mouebat aſpera ſonorum concurſio. Itaq; ſuccumbebat ars & animus ſilente conſilio naturæ, nec ullum percipiebat

bat dignum suo labore fructum. Sic erat, ut colendi peritus agricola, qui sterile solum omni arte et industria subigit, eoq; conijcit semẽ. hinc forte nascetur aliquid, quod tandẽ metat: sed raræ & graciles aristæ fallunt hominem boumq; sudores. Nõ omnis fert omnia tellus, inquit Poeta. Nec ars sola potest, quod ipsa cõcurrente natura. Quid? quòd sub uno eodemq; præceptore uideas pueros eadẽ informari disciplina, & intendi pari diligentia, qui tamen in oratione exædificanda nõ sunt inter se pares? Quid est causæ? Quid? Illorum paria nõ sunt ingenia. Quum sit una rhetorica, totidẽ ferè sunt genera dicendi, quot oratores: nec unquam duo per omnia consimiles reperti. Hanc formarũ uarietatem non aliter in ordine, quàm in hominũ ore natura fecit. Quòd si quis aliò quàm quò natus est tendit, Gigantum more naturæ deoq; repugnabit, & suæ stultitiæ tandem precium feret. Labor improbus res arduas expugnat, sed funditus euellere naturæ fundamenta non potest. Verum est illud Horatianum:

Naturam expellas furca, tamen usq; recurret.

Sint igitur eloquẽdi magistro celeres animi motus, & insita prudentia. Insit ubertas, & quædam musica uis ingenij: et innatus uenustatis amor alliciat animum eius ad uerborũ suauitatẽ: numerosæ constructionis ordinem persequatur. Sic expetat

ornandæ dictionis artem, ut tamen à naturali & illaborato fluxu longè ne recedat. Nam tanto deterior erit, quanto longius à natura ducetur oratio. Nō excidit mihi, quod autore Quintiliano dixeram, elocutionem omnem arte consistere. Natura sine arte in inueniendo & collocando multum sanè potest, in eloquēdo nihil omnino. sed ars sine natura in his omnibus debilis est. Cui natura modulationis huius indidit amorē, uersatus sit in opti mis tum proprietatis, tū collocationis autoribus: teneat quæ de singulis uerbis, de compositis, de coagmentatione, de cōcinnitate, de numero, de compositione Cicero præcepit: horū omniū uim rationesq; notas habeat: ne quid ignoret, quod Quintilianus de natura uerborum simplicium, de ornatu, de cōpositione scripsit. Ab his enim duobus uiris penè res omnis est absoluta, ut hic Græcis autoribus nihil egeamus. Nec opus erat his præceptionibus nostris, nisi agere pingui Minerua, & rem obscuram exemplis illustrare uoluissemus. Et quoniam aures hic plurimū poßunt, erudierit sensum primùm in carminibus poetarū, Terentij & Virgilij maximè: altero nemo Latinorum purior uenustiorq;, altero nemo compositior. deinde in oratione non minus propria & latina, quàm instructa atq; modulata, qualis est Cæsaris atq; Ciceronis. Est in Cæsare summa proprietas, cōpositio

tenuis

tenuis quidē, sed perquàm suauis: in Cicerone; cū proprietate omne eloquendi genus, omnisq; figura dicendi. Hos *quatuor, si non ad omnē & inuentionem et elocutionē, tamen ad id quod uolumus, satis esse ducimus.* Q*uanquā non repudiandus est educator, qui uarias, si modò sanas, dapes apponit: non tamen maiorem quærimus uerborum puritatem, neq; flagitamus delectum exquisitiorem, neq; extructiorem petimus collocationem.* Horū *scripta cantitauerit magister, & crebra pronunciatione quodammodo limauerit suas aureis.* Hæc *proponat pueris ediscenda, hæc clara uoce ac uirili prælegat, interpretetur, quid uirtutis habeant sedulò demonstret.* Q*uod si facere nō posit, eum satis idoneum non habebo: nec diu uirtus aut uitiū latebit.* Animaduertentem *difficile non est iudicare (si modò propius inspicitur) qui ualeat ingenio professor, qui phrasin redoleat elegantē, qui sermonem habeat purum, dispositum, & ornatum, qui uitet illud opimum et adipale dictionis genus, in quo ridentur* Asiani*: qui nec hæsitet turpiter, nec intersistat, nec languescat, nec mutila iactet, nec cōcisē, improprie, barbarē loquatur.* Est *una de summis eius uirtutibus, sermo expeditus, uenustus, et incorruptus. assiduè cadit in aurem pueri, sensumq; dulci uoluptate demulcet.* Hinc *fit, ut nō modò libentius audiat eloquentem, sed etiā ut sic*

castiget & informet aures, ut horridam & incultam perferre linguam postea non poßit. Nolo hominem dissolutum, qui subinde pueritiæ uerba faciēs, propria impropria, pura impura, latina gallica, grandia parua, composita incomposita cōmisceat. Volo uirum qui excitet animum, atq; ratione moderetur: ut quæ cogitauerit, uerbis lectis, & subita facultate digestis exprimat. Animi celeritas admirabilis, si curam adhibebit ac diligentiā, in multa se munera partietur, & optima inueniet, & inuenta disponet, et eodem propè tempore collocata uestiet honore uerborum. Volo qui rationem mentis urgeat: cui sit studium & eximius ardor literarum: qui artium liberalium maiestatē ueritus, non omnia ad quæstum et auaritiā, more multorum, sed ad bene dicendi laudem, et ad ueræ gloriæ fructum referat. qui pertulerit illum scribendi laborem: quem si non hauserit pueritiæ formator, quî de scriptis alienis rectum iudiciū feret? Quis omnium de uersu uerè iudicare potest? Poeta. Quis autem de oratione? Orator. Quis est autem orator, aut poeta, aut saltem finitimus illis? Qui carmina permulta diligenter cōdidit, multas epistolas & orationes arte confecit. Exercitatus ille præceptor, & styli minime rudis, facili negocio scripta discentis emendabit, improba & ociosa expunget, proba et grauia ponet, pro insuauibus dulcia,

dulcia, pro fortuitis lecta, pro confusis composita promptè suggeret. Si quid alumnus inemendatũ aut durum locutus erit, expeditè corriget, et mol liet immutato genere loquendi: cuius limam solicitè metuens discipulus, uigilabit, & intendet animũ, ne quid proferat nimis squalidum & impolitum. qui haud dubiè securius esset, si artificem imperitũ scriptis æquaret, aut uinceret. Meus hic disciplinæ princeps pauca, sed præclara dicat. Commoretur in locis difficilioribus: ne quantum, sed quàm bene ferat, curet. Commissa auditoris fidei, repetat aßiduè: materiã scribendi sententiosam, rectoq; quasi filo ductam, et primis adumbratam lineis proponat, propositã die statuto exigat, ne cessatores efficiantur, quorum periculo inutiles transmittuntur horæ. Omnia uitia ne uellicet, sed tantum notabilia: quoniam scriptor tam sæpe reprehensus, animum despondet, et infaustũ execratur laborem. Ista nequaquã scribo professoribus artium humanarum, quos docere iam, non doceri par est: sed prouectis ultra prima rudimenta, qui uel Roman*æ linguæ magistris doctoribus operam dare, uel alios eandem linguam docere uolunt.*

F I N I S.

BASILEAE, EX OFFICINA
Ioan. Oporini, An. 1549. Mense Martio.







